




Ars Kaba
listica et
Pompa Fe
ralis










Levres de vers de feuillets
97 à 117

Zoorr c.47

Rare mzy

150

ne pas cat. le 2e



ARTIS KABBALISTICÆ, SIVE SAPIENTIÆ DIVINÆ ACADEMIA;

In nouem classes amicissima cùm breuitate, tùm claritate digesta.

Per Petrum Morestellum Artium Liberalium Magistrum, Doctorem Theologum & Sancti Nicolai de la Taille Rectorem.

Ad Illustrissimum Potentissimumque Principem Carolum à Lotharingia, Ducem d'Elbeuf Parem Franciæ, &c.

[redacted]



PARISIIS,
Apud MELCHIOREM MONDIERE, via Iacobæa propè S. Seuerinum.

M. D. C. XXI.

Cum Priuilegio Regis Christianiss.



ILLVSTRISSIMO

POTENTISSIMOQVE PRINCIPI DOMINO CAROLO A LOTHARINGIA Duci D'ELBEVF, Pari Franciæ, Ordinis vtriusq; Equiti, Senatus Regij cùm publici tum priuati Consiliario, Comiti d'Harcourt, l'Islebonne, Domino de Rieux, Rochefort &c. Nec non centum Cataphractorum Duci, Petrus Morestellus Doctor Theologus. S. P. D.

NVLLA *temporis vetustas* (Princeps potentissime) *quartum Kal. Iulij vltimum obliuione delebit, qui nomen tuum immortalitati in obsidione Angelianæ commendauit. Tu enim pugnando potiùs, quàm adhortando Militum animos accendebas. Sciunt equestres, pedestresque Copiæ, immò Maiestas ipsa regia quæ magnani-*

mitatem tuam; qua nihil nobilius, explo-
ratam habuit. Præstantis animi tui insignis
nota, est vulnus illatum tibi primo, ex quo
futurum speramus, vt (opem ferente Deo) in
breui conualescas. Sed interim *vt vis doloris*
languescat, quid agendum? Ad literas con-
fugiendum, ex quibus delectatio semper
petitur. Cætera (*inquit Orator*) neque
temporum sunt, neque ætatũ omnium,
neque locorum. Hæc studia adolescen-
tiam alunt, senectutem oblectant, se-
cundas res ornant, aduersis perfugium
ac solatium præbent, delectant domi,
non impediunt foris, pernoctant nobis-
cum, peregrinantur, rusticantur, *Non-*
ne multi cùm in potestate essent hostium ac
Tyrannorum, in custodia aut exilio, doctri-
næ studijs desiderio sciendi innato satisfa-
cientes dolorem leuarunt? Innato inquam,
Nam in tanta animantium varietate, homi-
ni soli cupiditas ingenerata est cognitionis
& scientiæ, ideo iure φῶτα *Græci dixerunt,*
odit enim ignorantiæ tenebras, nosse est no-

tescere vult, scire et sciri: vna autem scientia ei necessaria sui, hoc enim nisi norit, quid prodest.

Aërias tentasse domos, animoque profundum
Percurrisse polum?

Hoc iubet Pythicis Oraculis adscripta vox NOSCE TE, *dictio quidem breuis, sed* Tanta res quam Iupiter solus sciat, *ait Poëta vetus. Homo tamen pro ingenij modulo se capere et scire potest, vt vult Apollinis Oraculum. Triplex enim est sui ignorantia, in* Opibus, Corpore, Animo: *Triplex ergo in illis ijsdem scientia. Nam opes suas videt, vt inquit? Sciat non sua videre, abeunt, veniunt, sunt ludibrium Fortunæ. Opes tantum? honores etiam. Itaque hæc noscat et quod sequitur non attollere in ijs. Altera scientia partem sui spectat* Corpus, *vas quassum, lucernaque in vento posita, iactatu non tempestate opus est vt soluatur. Tertia & præcipua scientia animum tangit:* NOSCE TE, *à pulcherrima nimirum*

& diuina parte tui mente. Duplex enim in nobis homo, Materialis, Essentialis, *atque iste verè homo, alterius princeps, ductor rector: mancipium pars altera, & homo quoque si quis eã colit, Ratio est quæ eminet, quæ sola ab animantibus brutisque distinguit. Nam valet homo? &* Leones: *formosus est? &* Pauones: *velox est? et Equi, vt non dicam in his omnibus vincitur. Vnũ ergo hominis proprium bonum,* Ratio *quæ noscenda et colenda tanquam pars diuina. Ab hac notitia sequetur contemptus aliarum rerum & virtutis vnius æstimatio, ad quam beatum se fore iudicabit. Nam (ait Agapetus ad Iustinianum)* Qui se nouit, Deũ nouit: Deum noscens, Deo assimilabitur. *Assimilaris ergo Deo,* (Princeps Illustrissime) *à primis enim temporibus præceptis imbutus meis, te ad eius studium scientiæ adiunxisti vnde nascitur atque alitur moderatio vitæ, vnde recta viuendi ratio, atque omnis ordo manat. Philosophiæ, inquam, operam tradidisti Platonis hortatu*

dicetis fore beatas Respublicas, si aut Do-
cti, aut Sapientes homines eas regere
cœpissent, aut qui regerent omne suum
studium in doctrina, ac Sapientia collo-
carent. *Philosophia enim medetur animis,
cupiditatibus liberat, radicem omnium ma-
lorum stirpitus extrahit, virtutes continet,
hæc Legum inuentrix, Magistra morum
et disciplinæ,* ὄμμα τῆς ψυχῆς, *oculus animæ
& sine qua fieri sanè non potest vt sanus sit
animus. Sapientis animi præstantiam &
penè diuinitatem videre vis? omnia momen-
to peruadit; syderibus*, cogitatione *& tem-
poribus velocior: penè vbique est. Dicat Sa-
piens animæ suæ illò abire, dicto citiùs illic
erit: præcipiat Oceanum tranare, celerrimè
illic erit, non vt è loco in locum delata, sed
tanquam iam ibi existens: iubeat in cœlum
euolet, alis non egebit, nullum ei obstaculum,
non Solis ardor, non æther, non Cœli volu-
tatio, non corpora Astrorũ, quin omnia per-
uadens ad extremam naturam peruolet, im-
mò extra eã, si quid extra eam intueri liceat.*

Quantus ergo splendor nominis tui, (Princeps generosissime) *cuius sapientia & virtutibus cæteri illustrantur Principes, sicut Solis luce omnia vestiuntur. Quare meritissimò Coniugem duxisti illustrissimam quæ sapientissima & habetur et est, omniumque virtutum particeps, cuius.*

Ars vtinam mores, animumque effingere possit,
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

PVLCHRVM EMINERE EST INTER ILLVSTRES VIROS: *Emines certè summa huius* Artis Kabbalisticæ *doctrina, in qua me vsus es Præceptore, quæ me causa impellit, vt hanc* Sapientiæ diuinæ Academiam *quam valdè desiderari audio, sub tui nominis* Clypeo edam. M*unus æquo animo accipies? Sanè accipies ob suauissimam tuam in me propensam beneuolentiam, quæ me arctè obstringendo coget admirabilem tuam fortitudinem semper illustrare, Filioloque carissimo* (*quem cùm*

omnes ob eximiam venuſtatem diligant, omnes tamen in amore vinco) omnia ſecunda cupere. Vale (Princeps potentiſſime) *et ſenſus animi mei intimos dignoſce,*
Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.
Iterum vale ſalueque & ab hoſtibus Regis victoriam, victoriæque inſignia tu Fraterque amantiſſimus reportantes, vnà cum Rege *verè Chriſtianiſſimo Ludouico Iuſto incolumes* (O Martia Corda) *redeatis.*
Pariſiis. Non. Iunij 8. *ab illato tibi vulnere,* 1621.



AD EVNDEM DOMINVM ſeruus obſequentiſſimus Ioannes Franciſcus de Chanlecy.

EPIGRAMMA.

MIra meis quoties rutilis verſatur ocellis,
Hæc lampas Sophiæ, ſum memor ipſe tui.
Qui licet immenſos latices exhauſeris ore,
Nulla tamen potuit lympha leuare ſitim.
Inde patet te olim penetraſſe arcana Deorum,
Cùm munus Sophiæ poſſis obire ſacrum.
Omnibus illa patet, tamen eſt notiſſima paucis
Tu verò es cunctis notus, vbique pates.



AD ILLVSTRISSIMVM Inuictissimumque Principem D. D. D'ELBEVF.

EPIGRAMMA.

ILla notanda dies, *Princeps*, meliore lapillo,
 In quâ Christiadûm vulnera primus habes.
O quàm grata tibi: quàm lætâ vulnera mente
 Suffers: Sed quàm te præmia grata manent?
Primus in hostiles turmas victricibus armis
 Prodis, & in primo vulnere fortis ades.
Alcides fortis diuino vulnere amoris
 Saucius horrendos destruis ipse viros.
Vulnere præ rapido citiùs non arma relinquis,
 Non citiùs Martis vestibus exueris:
Quàm, Princeps, tibi grata, Phalanx numerosa Sororũ
 Otia sub pedibus subiicit illa libris.
Sic te Pallas amat: sic Pallade dignus haberis;
 Sic pace & bello docta Minerua viget.
Sic tu Musarum Phœbus columenque vocaris,
 Solatur Phœbum sic sacra turba suum.

Ex animo tibi suum vouens obsequium dicabat
PETRVS LANGLOSIVS *Bellouacensis.*

ILLVSTRISSIMO Potentissimoque Principi D. Domino D'ELBEVF.

De vulnere sibi illato in Obsidione Angeliana.

CARMEN HEROICVM.

VEr erat, & niueis candebant floribus horti,
Et segetum primas tellus pandebat aristas,
Dulcia & in latis spirabat flamina campis
Eurus, vbi in bello multis è millibus vnum
Cernimus ELBOVIVM medios spolia ampla per hostes
Christiadûm, lato sibi vulnere crure, referre.
Orthodoxa prauis pessum dabat illa periclis
Relligio, virusque animos penetrabat inertes :
Sed qui Pythonem morti damnaret iniquum,
Cernimus ELBOVIVM, qui clari munia Phœbi
Exequitur, mediis potius moriturus in armis.
Andromedam scopulis religârant fata marinis :
Sed qui Cephei natam liberare periclis
Expetat; alter adest Perseus superator, & armis
Tabificos ausus iactatis ire per hostes.
Nititur ingentes clarus virtutibus angues
Alcmenâ satus validis superare lacertis,
Atque renascentes Hydras, Cacosque malignos,
Anthæos, Lapythas, aliosque domare rebelles.

Quid vos (pestiferæ mentes) agitatis inanes
Pugnas? An Christo vultis præscribere legem?
More Gigantæo num vultis culmina montis
Monti subijcere, & Diuos bellare fideles?
Celsiùs vt vultis vestras attollere mentes;
Altiùs inuertent vestra acres corpora flammæ:
Flammiuomosque ignes torquebit summus Olympi
Rector, qui Regem summum, belloque potentem
Proteget ELBOVIVM, primo qui vulnere cruris
Saucius est, primas meruitque referre corollas.
Macte animo, PRINCEPS, Hydras expelle nocentes;
Expelle & omnigenis valeas bellare triumphis.
Illic certa salus, sunt illic præmia Diuûm;
Illic stat Regni pax permansura perennis.

IDEM.

IN AVTHOREM ARTIS *Kabbal.*

EPIGRAMMA.

FIxis stantem oculis Aquilam decernere Phœbum
Quis nescit? quis non hanc super astra vehi?
Fonte Caballino non solum mergeris infans,
Sed vir, diuino proluis ora simul.
Tu Sophiæ fulcris Naturæ quàm abdita noscis
Arcana, & quicquid continet orbis, habes.
Tu Sophiæ pennis Phæbum cælosque jacere,
Sub pedibus cernis: cuncta subesse vides.
Quid causæ? labor ille fuit: Labor addocet artes,
Improbus ille Labor te super Astra tulit.
Tu fons, tu riuus, tu flumina cogis in amnes,
Tu Phæbus cunctis desuper irradias.
Ad fontem vestros, iuuenes, deflectite ocellos,
Illic exemplum prostat, adestque labor.

AD EVNDEM.
Anagramma.

PETRVS MORESTELLVS.
STELLARVM PORTVS ES.

Per stellas, dum Sole procul nox vela per orbem
Pandit atra, est aditus vel via certa poli.
STELLARVM tu PORTVS ADES, tu Stella periclis
Nauigij præsens, tu Cynosura simul.

Ex animo offerebat P. LANGLOSIVS
Bellouacensis.

Extraict du Priuilege.

PAr grace & Priuilege du Roy, il est permis à Melchior Mondiere Marchãd Libraire à Paris d'Imprimer ou faire Imprimer deux liures l'vn intitulé, *Pompa Feralis siue Iusta funebria Petri Morestelli Tornusiensis, Artium Liberalium Magistri, Doctoris Theologi & S. Nicolai de la Taille Rectoris*: l'autre intitulé *Artis Kabbalisticæ siue Sapientiæ diuinæ Academia in nouem classes amicißima claritate digesta per Petrum Morestellum Artium Liberalium Magist. Doct. Theologum*, & deffences sont faictes à tous Imprimeurs Libraires & autres personnes de quelque qualité & condition qu'ils soyent d'Imprimer ou faire Imprimer lesdicts liures vendre ne distribuer autres que de ceux qu'aura Imprimé ou fait Imprimer ledict Mondiere & ce iusques au temps & terme de six ans finyz & accomplyz sur peine de mille liures d'Amende le tiers applicable à nous, vn tiers au denonciateur & l'autre tiers audict exposant ainsi qu'il est plus amplement contenu és lettres de Priuilege données à Paris le cinquiesme Iuin, l'An de grace mil six cens vingt & vn, & de nostre regne le douziesme.

Signé. *Par le Conseil,*

HARDY.


APPROBATION.


IE soubs-signé Certifie à quiconque aura pouuoir d'approuuer des liures, que i'ay leu ces deux, l'vn intitulé *Pompa Feralis, &c.* L'autre *Artis Kabbalisti-cæ siue Sapientiæ diuinæ Academia*, dans lesquels n'ay rien trouué contre la foy, ny contre les bonnes mœurs, Le 7. de Iuin. 1621.

MEVRISSE.

T.D.

ELENCHVS







ELENCHVS SIVE DILVCIDATIO PRÆLECTIONVM ARTIS KABBALISTICÆ.

EX PRÆLVDIO.



PRÆFATIO continens 1. occasionem & originem huius Academiæ, 2. Lullianæ Artis commendationem. 3. Materiam. 4. Ordinem Operis. 5. Precatiunculam. pag. 1.

EX PRIMA CLASSE.

Quid sit Kabbala. 2. Eius ἔτυμον. prælectio 1. pag. 6.
Quodnam sit subiectum circa quod versatur Kabbala. prælect. 2. ibid.

EX SECVNDA CLASSE.


EX QVARTA CLASSE.

EX QVINTA CLASSE.

EX SEXTA CLASSE.

3. quid

FINIS.





ARTIS KABBALISTICÆ

SIVE,

SAPIENTIÆ DIVINÆ ACADEMIA.

Præfatio continens 1. *occasionem & originem huius Academiæ.* 2. *Lullianæ Artis commendationem.* 3. *Materiam.* 4. *Ordinem Operis.* 5. *Precatiunculam.*



VERNI TEMPORIS aderat suauitas, cùm visendi causa ad me venit *Olympius* familiaris meus, & iis qui literarum exercent commercium charissimus. Post salutem, Opera Lullij de Arte vniuersali in manibus cùm haberet in meas tradidit: cui ego; semper in libris es mi *Olympi*. OLYMP. Vtinam mi *Morestelle* non in libris qui defatigant impendio iuuentutem, sciolorum consilio; sed in libro fuissem hoc (qui tamen mihi caligo) à pueritia. *Morestel.* 1.

Mi *Olympi* valde te diligo qui magnum inter
2. magnos virum diligas, cuius arte perspecta pla-
néque cognita, de quauis quæstione proposita
accuratè & subtiliter disserere valeamus. Quid?
tanta est mihi crede vis Artis Lullianæ, vt hac
vna instructus reliquos nullo negotio compa-
rare queat. De hac disciplina ita interpres Artis
breuis Lullij ad Ioannem Laurencinum: *Volu-
mus te donare Arte, & ea non vulgari, non triuiali,
non circa aliquod Obiectum occupata, sed arte om-
nium Artium Regina, qua duce ad reliquas omnes
scientias & Artes facilè conscendes, ita vt non modò
in illis mediocrem disciplinam, sed & insignem do-
ctrinam rationabiliter valeas profiteri. Est autem ars
Inuentiua Raymundi Lullij, cuius ea dignitas ac præ-
cellentia, ea generalitas ac certitudo, vt se sola suffi-
ciente, nulla alia præsupposita, non vllo indigens fo-
rinseco iuuamine infallibiliter cum omni securitate
ac certitudine, errore omni semoto, de omni re scibili
veritatem ac scientiam sine difficultate ac labore in-
uenire nos faciat. Secundò omnes alias scientias sub
se complectitur & ad verum ordinat, soluit omnes
quæstiones & Obiectiones quæ circa quodcumque
scibile fieri possunt, nec vllum scibile est quod hanc
effugiat. Argumentatur insuper per argumenta in-
fallibilia, certissima & notissima quibus nemo po-
test contradicere. Ideoque non indiget aliarum scien-
tiarum vel scripturarum testimonijs, sed ipsa omnem
aliarum scripturarum ac scientiarum auctoritatem
probat, etiam ipsam sacram scripturam disponit, &
ordinat. Habet enim principia vniuersalia genera-
lissima ac notissima cum mutua quadam habitudine*

ac artificioso discurrendi modo, in quibus omnium aliarum scientiarum principia & discursus tanquam particularia in suo vniuersali elucescunt. Ea est præterea huius scientiæ promptitudo & facilitas, vt etiam pueri impuberes hac Arte freti in omnibus fermè facultatibus doctè disserere possint. Multi etiam qui in extrema senectute se ad literas contulere, hac Arte paucis mensibus in viros doctos euasere, ita hæc ars omnem temporis indigentiam vincit & inopiam. Vis addam Olympi Operis aurei verba aurea? *Est Ars illa cuius inuentionem Iudei nostrates Salomoni magni Regi Philosopho adscribunt, & non nisi diuino suggestu ad Lullum iure quasi postliminij rediÿsse colligunt sapientes.* OLYMP. O me beatum qui virum Lullistam hodie & ex disciplina Raymundi doctum offendi, quemque huius artificii præceptorem vt video sum habiturus. *Morest.* Priùs discendum quàm docendum *Olympi*; in hac arte verò Lulliana nullo vsus sum magistro, nisi interpretibus, qui etsi lucem multis afferant, noctem tamen pluribus offundunt.

Olymp. Verum dicis nam tenebræ sunt interpretes & obscura per æquè obscura explicant, frequens tamen vsus & Auctorum inter se collatio tibi familiaris perfectionem parit. *Morest.* Vtinam peperisset *Olympi*, curarem sanè vt voti compos fieres, si qua tamen exercitatio huius artium Reginæ in me est [in qua me non inficior mediocriter esse versatum) facem tibi præferam paucis multa coarctando, claris obscura illustrando, facilibus difficiliora, confusa distin-

guendo, abdita aperiendo, Lullianos terminos
4 cum terminis Peripateticorum conferendo. Et quia delectat in dictis & ſcriptis ordinem & ſeriem rerum videre, *Academiam* hanc duodecim claſſibus, Claſſes prælectionibus extruam.

I. Docebit. 1. Cur hoc opus Kabbala vocetur. 2. Totius Artis ſubiectum declarabit. 3. Eiuſdem Alphabetum tradet eiuſque ſignificata. 4. Figuras Artis generatim ante oculos ponet in quibus inſtrumenta Inuentionis & Diſcurſus latent.

II. Primam figuram aggredietur de ſubiectis vniuerſalibus.

III. Vltimum ſubiectum primæ figuræ duobus modis conſiderabit, ex qua duplici animadverſione duplicem conſtituet figuram.

IIII. Secundam figuram de Prædicatis abſolutis explanabit.

V. Prædicata reſpectiua examinabit.

VI. De Quæſtionibus, earumque regulis & ſpeciebus tractabit.

VII. De multiplicatione terminorum Artis & regularum, extraneorum terminorum inueſtigatione, figurarum mixtione & earumdem multiplicatione, propoſitionum inuentione, & propoſitionis inuentæ defenſione, ſiue medii inuentione ac tãdem de formatione argumentorum diſſeret.

VIII. Erit de Quæſtionum ſolutionibus & Argumentorum diſſolutionibus.

IX. Vniuerſalem diſpoſitionem & applica-

cationem Artis tibi dabit præceptis & exemplis.

Olymp. Tua hæc methodus mentem allicit ac detinet: aptus hic ordo, apta partium diſpoſitio & quæ res ad intelligendum faciles efficiet, memoriamque iuuabit: quæ enim ordinata ſunt, longè faciliùs intelliguntur, quàm quæ turbata & promiſcua, firmiùs etiam animo inhærent quæ ordinatè addiſcuntur. O præſtantiſſimam artem. *Hæc mihi curarum requies, hæc ſacra voluptas, Vnaque pax animo.*

Non hanc dimittam donec me vita dimittet: perge *Moreſtelle* tuo me incendere igne & promiſſa exolue. *Moreſt.* Soluenda certè, ſed quia 5
in caſſum lingua Doctoris laborat, niſi adſit Spiritus ſanctus qui intus doceat, precor cœleſtem illum παράκλητον ſcientiæ & ſermonis auctorem vt mihi res fauſtè, fœliciter, proſperéque eueniat. Sit ergo.



PRIMA CLASSIS.

DE NOMINE KABBALÆ, totius Artis ſubiecto, eiuſdem Alphabeto ſignificatis, figuris denique Artis generatim.

PRÆLECTIO I.

1. *Quid ſit Kabbala.* 2. *Eius* ἔτυμον.

1 ABBALA ſecundum Hebræos, *Eſt receptio veritatis cuiuſlibet rei diuinitus reuelatæ animæ rationali*.
2 Secundum Kabbaliſtas verò recentiores eſt *Sapientia diuina*: Kabbala enim: inquiunt, eſt nomen compoſitum ex duabus dictionibus arabicis videlicet *Abba* & *Ala*, Abba autem arabicè idem eſt quod *Pater* latinè & *Ala* idem quod *Deus meus*: & cùm *Deus meus* nihil aliud quam filium Dei declaret qui verè eſt Sapientia diuina, ideo hoc vocabulum Kabbala ſapientiam aut ſcientiam diuinam ſignificabit.

PRÆLECTIO II.

1. *Quodnam ſit ſubiectum circa quod verſatur Kabbala.*

RESpondet Lullius in prologo Artis breuis his verbis. *Subiectum*, inquit, *huius Artis*

est respondere de omnibus quæstionibus supposito quod sciatur quid dicitur per nomen. Et Lampas combinatoria in Prooemio: *Vulgatum satis est in Arte Lullij eiusmodi vniuersalia principia contineri, quibus iactis veluti fundamentis de quolibet scibili omnibus numeris examinando, confirmando & defendendo, apertè inquirere, copiosè inuenire, maiorique certitudine iudicare possumus.* Et clarè prædictus interpres Artis breuis in his: *Dicitur hæc Ars inuentiua quia docet nos inuenire & multiplicare res & terminos, propositiones, definitiones, diuisiones, media, loca, argumenta, quæstiones, quæstionum & Argumentorum solutiones atque deductiones, veritates & scientias de omni re & ad omne id quod proponitur.* Hoc etiam satis patet ex Præfatione nostra.

PRAELECTIO III.

1. *Alphabetum Kabbalæ.* 2. *Causa eius.* 3. *Significata.*

ALphabeti huius nouem sunt literæ videlicet A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. auctore huius Artis principe in prima parte Artis breuis vbi causam huius affert. *Alphabetum ponimus in hac arte, vt per ipsum possimus facere figuras & etiam miscere principia & regulas ad inuestigandam veritatem. Nam per vnam literam habentem multa significata intellectus est magis generalis ad respiciendum multa significata, & etiam ad faciendum scientiam.* Significata autem singularum literarum Alphabeti hæc sunt: B. in circulo siue figura S. significat Deum: in circulo A. bonita- 1

rem: in circulo T, differentiam; in circulo Q, vtrum.

C. in circulo S. significat Angelum: in circulo A, magnitudinem: in circulo T, concordantiam: in circulo Q, Quid: & sic reliquæ literæ in superiori parte circulorum sequentium locatæ demonstrant sua significata in eorumdem inferiori parte è regione collata.

PRÆLECTIO IV.


1. De figuris Artis generatim. 2. Cur circulares.

FIGVRÆ Artis sunt quatuor in quibus instrumenta Inuentionis & Discursus latent.


Prima est de Subiectis vniuersalibus quæ notatur litera S.




Secunda eſt de prædicatis abſolutis cuius nota eſt A.



Tertia complectitur predicata respectiua cuius nota est T.




Quarta est de Quæstionibus, siue Quæstionum formis & Responsionum regulis quæ notatur litera Q.



Harum figurarum quælibet possidet nouem terminos notatos per nouem prædictas literas Alphabeti. B. C. D. &c. Tria tamen alia principia generalia addita sunt nouẽ principiis per Raymundum positis in secũda figura quæ sunt *Essentia, Vnitas, Perfectio.*

Sunt autem hæ figuræ Circulares: primò, quia Circulus est figura omnium capacissima & perfectissima. Secundò, quia sphœrica, siue rotunda figura ad motum est aptissima, discursus verò est quidam motus.



SECVNDA CLASSIS.

DE PRIMA FIGVRA SPECIATIM:

SIVE,

De subiectis vniuersalibus.

PRÆLECTIO I.

1. Quid subiectorum nomine intelligatur. 2. Quot sint subiecta Lulliana. 3. Cur vniuersalia dicta. 4. Horum definitiones, differentiæ & conditiones cognoscendæ.

1 HIc Subiectorum nomine intellige cùm ea de quibus potissimum aliquid affirmatur vel negatur, verè vel falsè dicitur, tum etiam illa quæ præcipuè entitatem habent atque substantiam. In his enim vniuersa quæ sunt substantia per modum substantiæ significantur, cum istis identificantur, ad ista reducuntur, & in istis compræhensa intelliguntur: vniuersa quoque, aut horum sunt species, aut differentiæ, aut partes, aut principia, aut proprietates, aut adiacentia, aut primariæ, aut secundariæ intẽtiones.

Eiusmodi autem subiecta sunt nouem in Circulo S. nouem elementis seu literis Alphabeti notata.



3 Hæc Raymundus ita ſumit generatim, vt ni-
hil vnquam dicatur, vbi non ſit depromendum
ex iis ſubiectum propoſitionis, vnde etiam no-
minat ſubiecta vniuerſalia: quorum definitio-
nes ad amuſſim ſunt cognoſcendæ, differentiæ
4 quoque à ſe inuicem & conditiones, vt poſtea
intelligatur ratio attribuendi in ſequentibus fi-
guris. Non enim omnia prædicata eodem mo-
do omnibus ſubiectis conueniunt: nam quæ de
Deo dicuntur, per quendam alium modum
quàm de rebus creatis dicuntur: & quæ homini
ſecundum rationem attribuuntur, oportet in
bruto non eſſe: ſic illa quæ de homine iuſto
dicuntur, aliter quàm de iniuſto dicũtur. Nunc
igitur ad ſingulorum Subiectorum definitio-
nes, differentias & conditiones veniamus.

PRAELECTIO II.

De ſubiecto B. ſiue Deo.

1. Deum eſſe ſimpliciſsimam naturam. 2. Admittendam eſſe nihilominus in eo pluralitatem perſonarum. 3. Habere in ſe omne complementum. 4. Quatuor conditiones in hoc ſubiecto conſiderandas. 5. Terminos extraneos, cognatos tamen ſingulis ſubiectis ſubiungendos, ſpecies quoque & eorum potentias cùm occurrent.

DEus eſt illud ens in quo bonitas, magnitudo, duratio & cætera prædicata abſoluta in figura ſeu circulo A. poſita, ſunt vnum & idem numero. Deus enim eſt ſimpliciſſima natura ſiue ſimpliciſſimum eſſe, aut (ſi mauis) *Puriſsimus actus* nullam admittens perfectionũ diſtinctionem, licet eminentiſſimo quodam modo infinitas perfectiones, quæ dicuntur ipſius attributa, contineat. Sic lumen vnica eſt ſimplex qualitas nullam recipiens diſtinctionem naturæ in genere qualitatis, quamuis eminenter includat alias qualitates elementares vt calorem & ſiccitatem. 1

Quod ſi dicatur, ergo in Deo nulla eſt pluralitas: Reſpondendum id verum conſiderando eius eſſentiam puriſſimam: ſed Correlatiua intrinſeca ſpectando, falſum. Nam in Deo eſt *Bonificatiuum* quod idem eſt quod pater: *Bonificatum* quod idem eſt quod filius: & *Bonificatio* quæ eſt Spiritus ſanctus: ſicque in Deo eſt plu- 2

ralitas personarum sicut est pluralitas correlatiuorum essentialium quæ sunt *Deitatiuum*, *Deitatum* & *Deitatio*: quæ formaliter distinguntur licet sint idem in vna simplicissima natura vt dictum est.

3 Et hæc natura siue Deus ipse habet in se omne complementum nullo extra se indigens, quibus verbis differt ab omni alio ente, omnia enim alia entia indigent aliquo extra se. Magis subiectum hoc illustrabo? Est Deus illud ens infinitum, æternum, perpetuum, ante & post omnium rerum principium & finem, ipsum sine principio & fine, in quo sunt perfectiones rerum vniuersæ, & imperfectiones omnes absunt.

4 *Lullius* in Arte breui c. 13. affert quatuor conditiones in hoc subiecto considerandas.

1 *Prima* est, vt in Deo non sint ex prædicatis respectiuis in circulo T. positis contrarietas nec minoritas, quia sunt principia priuatiua & defectiua: veruntamen in eo est maioritas respectu aliorum entium, & æqualitas: nam æqualia principia habet videlicet bonitatem, magnitudinem &c. & etiam æquales actus.

2 *Secunda* est, vt in Deo sit differentia Correlatiuorũ (vt patet exemplis suprà allatis) sine qua differẽtia ipsa correlatiua nequaquam esse possunt, nec Deus absque ipsis posset habere actionem intrinsecam, infinitam & æternam: imò sine ipsis omnes suæ rationes essent ociosæ, quod fieri nonpotest.

3 *Tertia* est, vt in Deo sit Concordantia cum qua distat, infinitè & æternè à contrarietate, &

sua correlatiua conueniant infinitè & æternè in vna essentia & natura.

Quarta est vt in Deo non sit quantitas, nec tempus, nec vllum accidens: ratio est, quia substantia sua ab omni accidente est segregata & denudata, nam infinita & æterna est. 4

Cæterùm ad fœcunditatem & amplificationem, subiectis singulis & prædicatis extraneos terminos subiiciemus, id est in arte nõ explicatos, vicinos tamen & cognatos idemque significantes: imò species subiectorum eorumque potentias si occurrant subiungemus. 5

Capientes itaque subiectum Deum non semper vtantur vocabulo (*Deus*) varietas enim occurrit satietati, artemque regit, sed vtantur.

His aut similibus synonymis quę sunt:
- Numen diuinum.
- Æterna natura.
- Effector mundi.
- Dominus.
- Diuina prouidentia.
- Vis diuina.
- Mens ęterna.
- Rerum præpotens.
- Procreator mundi, &c.

PRÆLECTIO III.

De subiecto C. siue Angelo.

1. *Angelus deducibilis per circulos*. 2. *Eius definitio*. 3. *Subiecti huius conditiones*. 4. *Quid Angeli nomine intelligatur*. 5. *Tres bonorum Angelorum Hierarchiæ*. 6. *Synonyma*.

1 ANgelus est deducibilis per principia & regulas; habet enim naturalem bonitatem, magnitudinem, durationem, &c.

Sic autem definitur: Angelus est spiritus corpori non coniunctus, ideoque non indigens tempore neque motu, neque loco: secundum suam, essentiam intellectualis, immortalis, insensibilis, impassibilis quoque ex sua proprietate, nisi se moribus deprauarit ex ea facultate quæ sibi ex libero arbitrio permissa fuit.

Similis descriptio animæ conuenit nisi quia corpori coniuncta est ipsumque semper appetit.

2 Princeps huius sapientiæ in arte breui c. 14. sex offert conditiones huius subiecti.

Prima est, vt in Angelo non sit contrarietas naturalis, nam incorruptibilis est.

3 *Secunda*, vt in ipso sit materia de bilibus scilicet bonificabile, magnificabile, durabile, &c.

4 *Tertia*: In Angelo est maioritas, ei enim maior est similitudo cum Deo quàm homini, quia altiora principia & regulas habet, quam homo. Hinc cognoscit intellectus quod licet homo non possit vti sensibus absque organis,

non ſequi tamen Angelum non poſſe ſine illis, nam Angelus natura eſt ſuperior.

Quarta: In Angelo eſt differentia, nam intellectus Angeli, memoria & voluntas differũt inter ſe. 4

Quinta: In eodem eſt æqualitas intelligendi, amandi & recolendi ratione Obiecti ſupremi, ſcilicet Dei, qui æqualiter eſt intelligibilis, amabilis & recolibilis. 5

Sexta: In Angelo eſt maioritas cum ex nihilo creatus ſit. 6

Angeli autem nomine intellige ſpiritus bonos & malos. Mali ſunt Lucifer, Belzebuth, &c. 4

Bonorum vero tres ſunt Hierarchiæ: 5

In prima ſunt { Seraphin, Cherubin, Throni.

In ſecunda { Dominationes, Virtutes, Poteſtates.

In tertia { Principatus, Archangeli, Angeli.

Synonyma Angeli ſunt { Intelligentia, à præſtantiſſima Angeli operatione. Subſtãtia ſpiritualis creata.

PRAELECTIO IV.

De ſubiecto D. ſiue Cœlo.

1. Cœlum deducibile per circulos. 2. Quid ſit. 3. Quintum corpus ſimplex diſtinctum ab elementis. 4. Eius conditiones. 5. Cœlorum numerus. 6. Synonyma.

1 COelum habet bonitatem, magnitudinem, durationem, &c. ſicque definitur. Cœlum
2 eſt corpus incorruptibile in quod non cadit mutatio ad formam, ſed tantùm ad vbi, ſua materia & forma compoſitum, non Elementorum compoſitione coactum, magiſque extenſum quàm aliud corpus. Licet autem cum Elemen-
3 tis in pleriſque conueniat, vt quod ſit inanimatum, ſimplex, & ad vniuerſi integritatem maximè pertineat, nihilominus tamen ab illis ſpecie & natura differt: ſicque Cœlum eſt quintum corpus ſimplex dlſtinctum à reliquis quatuor elementaribus corporibus.

4 In hoc ſubiecto hæ ſunt conſiderandæ conditiones.

1 *Prima*: In cœlo non eſt contrarietas, non enim ex principiis contrariis compoſitum.

2 *Secunda*: In ipſo ſunt inſtinctus & appetitus naturales, & per conſequens motus ſine quo non poſſet habere naturam, inſtinctum & appetitum.

3 *Tertia*: Motus Cœli eſt ei finis & quies.

4 *Quarta*: Cœlum eſt in ſuo loco, ſicut corpus in ſua ſuperficie.

Quinta: Cęlum eſt in tempore, ipſum namq; nouum eſt, & etiam in tempore ſicut efficiens in ſuo effectu & ſic de aliis ſuis accidentibus ſuo modo.

Sunt autem Cœli ſecundum communem o- 5
pinionem decem tantùm mobiles, nempe ſeptem Cęli planetarum, Cęlum ſtellatum, Cęlum Cryſtallinum, & primum mobile. Secundum recentiores verò vndecim ſunt mobiles, itaut inter firmamentum & primum mobile pro vnico Cryſtallino duplex conſtituatur, namque pro vnico motu trepidationis qui cœlo Cryſtallino tribuebatur quem admitti non poſſe demonſtrant, ponunt duplicem motum librationis, alterum ab ortu ad occaſum, & è contra quem tribuunt nonæ Sphæræ: alterum à Septentrione ad Auſtrum, & è contra quem decimæ Sphæræ aſſignant. Poteſt autem vtraque hæc Sphæra nomine Cęli Cryſtallini appellari. His additur vndecima Sphæra ſeu primum mobile, Denique Theologi præter Cęlos mobiles admittunt ſupremum Cœlum immobile quod Empyreum appellant quod ſit ſedes beatorum, ſicque erunt Cœli duodecim.

Synonyma Cęli ſunt
- Orbis cœleſtis.
- Dei domicilium, &c.

PRAELECTIO V.

De subiecto E. siue Homine.

1. Quid sit homo. 2. Deducibilis per principia dupliciter. 3. Quid sit anima generatim. 4. Origo animæ rationalis. 5. Quo tempore infundatur corpori. 6. Huius duæ sunt facultates. 7. Obiectum adæquatum intellectus. 8. Ad actum intelligendi necessariæ sunt species intelligibiles. 9. Quomodo hæ species producantur: Intellectus duplex: Vterque eadem facultas. 10. Quænam ad hoc subiectum reducantur.

1 HOMO est substantia in qua anima ratio-
2 nalis & corpus mortale coniũguntur: quare ratione vtriusque partis deducibilis est per principia & regulas dupliciter, quod vt facile fiat vtramque naturam animæ videlicet & corporis perspectam & cognitam habere debes, quare hic pauca de Anima dicenda, de corpore vero sub Elementatiuo.

Anima itaque est ἐντελεχεία πρώτη, id est actus
3 primus corporis naturalis organici potestate vitam habentis.

Dicitur primò *Actus primus*, seu primò insita, eaque substantialis rei perfectio ad distinctionem operationum & facultatum: nam operationes sunt actus secundi, facultates verò actus quidem primi si cum operationibus conferantur, sed non absolutè & simpliciter cùm ab ipso vitæ fonte profluant.

Dicitur 2. *Actus corporis*, intellige totius, nulla enim peculiaris Animæ ſedes à natura aſcribitur, ſed ea toto corpore fuſa eſt.

Dicitur 3. *Naturalis organici*, id eſt partium diſſimilarium varietate diſtincti, quam varietatem deſiderat anima, quia eſt principium multarum operationum, quæ non niſi plurium membrorum miniſterio peragi poſſunt.

Dicitur 4. *Poteſtate vitam habentis*. Non enim ſatis eſt quod ſit organicum, ſed debet poſſe vitæ functiones exercere, quare cùm cadauer, hoc non poſſit, non poteſt anima dici illius actus.

Et hæc eſt definitio Animæ generalis, itaut non tantùm vegetanti, aut ſentienti, ſed etiam rationali conueniat Synonym*ως*.

Poteſt & ſic definiri: Anima eſt id quo primò viuimus, ſentimus & intelligimus: quæ definitio diſiunctiuè ſic explicari poteſt, itaut anima dicatur principium quo vel viuimus, vel ſentimus, vel intelligimus, non enim neceſſe eſt id omne quod habet animam ſimul viuere, ſentire & intelligere.

Et quia homo de quo hîc agitur nobiliſſima 4
omnium formarum phyſicarum nempe rationali præditus eſt, idcirco de hac nonnihil. Hæc itaque neutiquam ſeminali virtute procreatur, quia virtus corporea non poteſt attingere productionem rei ſpiritualis: ſed accipit eſſe à Deo 5
per creationem, infunditurque ab eo ſimul & vnitur corpori in eo inſtanti quo primùm materia organis ac diſpoſitionibus ad eam formã

ſuſcipiendam requiſitis inſtructa eſt, quod accidit in maribus circa diem à conceptu quadrageſimum, in fœminis verò octogeſimum, quò ſpectat præſcriptus ille numerus dierum purgationis in veteri lege, pro maribus quidem 40 dierum, pro fœminis vero 80.

Duę ſunt præcipuę facultates Animæ rationalis,
6 nalis, nempe intellectus & voluntas. De voluntate dicam ſub principio E, ſeu appetitu, hîc dę intellectu, cuius obiectum adæquatum, non eſt *verum* vt plerique contendunt, ſed *ens* quate-
7 nus *intelligibile*, quia priùs natura eſt intelligere ens vt ens, quàm verum: quia verum eſt paſſio ſeu proprietas quędam entis, omnis autem proprietas vt eſt natura poſterior, ſic natura poſteriùs intelligitur, quàm id cuius eſt proprietas. Adde quòd ens intelligibile latiùs pateat, quàm ens verum, cùm ens falſum ſit etiam ſuo modo intelligibile, & certè ens prout abſtrahit à vero
8 & falſo intelligibile eſt.

Ad actum autem intelligendi neceſſariæ ſunt ſpecies intelligibiles, quę ſunt principia intelligendi inſtrumentaria, Nam intellectus eſt veluti pura potentia & per ſe indifferens ad hoc vel illud percipiendum ideoque tabulę raſæ in qua nihil adhuc ſcriptum eſt ab Ariſtotele comparatur, quare debet actuari & determinari priuſquam poſſit circa Obiectum operari, actus autem per quem intrinſecè intellectus actuatur ac determinatur eſt ſpecies intelligibilis quæ ſe habet in Intellectu veluti formale principium à quo intelligendi actus exeritur.

Vtautem intelligatur quomodo producantur hæ ſpecies prænotãdum eſt,in parte animæ rationalis cognoſcitiua duplicem intellectum aſſignari,alterum agentem,alterum patientem ſeu poſſibilem, & quidem poſteriorem hunc magis propriè appellari intellectum cùm ſit verè facultas intelligendi quæ ipſam intellectionem elicit. Præcipuum munus intellectus agentis eſt ſpecies intelligibiles fabricare, quod eſt operari ſeu agere, hinc factum eſt vt agens nuncupetur: Intellectus verò patientis eſt ſpecies recipere,vnde patiens appellatur.

Cæterùm licet aliud ſit intellectus agentis munus, aliud patientis, vtrumque tamen eſſe eandem realiter facultatem arbitramur, quæ quatenus habet vim efformandi ſpecies dicitur intellectus agens, quatenus verò eas recipit dicitur patiens.

His prænotatis dico ſpecies intelligibiles ſic procreari: Intellectus agens [concurrente ſimul phantaſia per ſuas imagines ſeu phantaſmata corporea] alias intellectuales imagines puriores & ſimpliciores elicit, eaſque ſimul intellectui imprimit.

Vbi notabis earum tantum rerum duntaxat ſpecies intelligibiles produci poſſe ab intellectu quarum habemus phantaſmata, quia nempe intellectus agens non elicit ſpecies niſi concurrentibus phantaſmatibus & prout ab iis determinatur.

Ad hoc ſubiectum reducuntur?
- Sacerdos
- Princeps
- Magiſtratus
- Doctor
- Miles
- Mercator
- Mechanicus
- Agricultor
- Seruus, &c.

PRÆLECTIO VI.

De ſubiecto F. ſeu Imaginatiuo.

1. Quid ſit Imaginatiuum. 2. Deducibile per principia. 3. Quænam ſub eo contineantur. 4. Senſus interni quot ſint, quotque eorum cellulæ in cerebro. 5. De ſingulis ſigillatim.

1 IMaginatiua eſt illa potentia in qua animal imaginatur ſimilitudines eorum quæ preſertim fuerunt ſenſibus præſentata, eaſque cum
2 bonitate circuli A. facit bonas, cum magnitudine magnas, ſicut cum cogitat magnum montem aureum: cum minoritate autem circuli T. paruas facit, vt cum ſingit punctum indiuiduũ & ſic de cæteris principiis.

3 Sub eo continentur animalia perfecta quæ habent eſſe, viuere, ſentire & apprehendere potentiis & ſenſibus interioribus & exterioribus: ſed quia commodiùs de exterioribus ſub Senſitiuo agetur, hic de interioribus tantùm.


4 Senſus ergo interni qui in Cerebri cellulis deliteſcunt ad ſummum numerantur

Quatuor, { Senſus communis. Phantaſia. Æſtimatiua. Memoria.

In cellulis inquam, deliteſcunt. Satis enim famoſum eſt atque conceſſum quatuor eſſe cellulas pro quatuor ſenſibus internis. Prima quæ eſt ſenſus communis ſita in anteriori parte Cerebri. Secunda vſque ad cerebri medietatem phantaſiæ domicilium nuncupãtur. Tertia illam contingens Cogitatiuæ domus dicitur. Quarta vero Memoriæ.

Ex quorum ſenſuum ordine habes ordinem operationum iſtarum potentiarum ad perficiendam memoriæ operationem. Nam ita operationes iſtæ ordinantur vt per aliam ad aliam progredi non valeamus vſque ad vltimum memoriæ cubile, niſi ſucceſſiuè incedentes ab vna in aliam eodem ordine quo fuerunt inſtitutæ à matre natura & ordinatæ ſecundum ſitum. Effingantur enim veluti quatuor cubilia non quidem ſepoſita, ſed altero intra alterum collocato, ita ut in quartum pateat aditus per tertium; in tertium per ſecundum, in ſecundum per primum: quod eſt dicere, nihil ingredi Memoriam niſi per atrium Cogitatiuæ, ſiue Æſtimatiuæ: nihil Cogitatiuã niſi per atrium Phãtaſiæ, nihil Phantaſiam niſi per atrium Senſus Communis. Sed de his ſingillatim aliquid dicendum.

Sensus ergo Cõmunis se habet ad sensus particulares, sicut centrum ad suam circumferentiam, illorum enim omnium species in eo recipiuntur, tanquam in illo quod habet vnius sensus species à speciebus alterius distinguere & segregare, patet in sequenti figura.



Tria autem potissimum præstat.

I. NOn tantùm omnia ſenſibilia, ſed etiam omnes omnium ſenſuum externorum actus circa ipſa percipit, cùm enim animalia ſe ſentire, videre, audire &c. percipiant, hæc autem cognitio non pertineat ad vllum ex quinque ſenſibus externis, cùm nulla potentia materialis poſſit ſuper ſuam ipſius actionem reflecti, neceſſe eſt vt pertineat ad altiorem communioremque potentiam, ad quam non tantùm Obiectorum, ſed etiam functionum externarum imagines deferantur, quæ nihil eſt quam Senſus Communis.

II. Diuerſorum ſenſuum Obiecta diſcernit & diiudicat, quod nullus externorum ſenſuum præſtare poteſt, cùm vnuſquiſque circa proprii dumtaxat Obiecti differentias occupetur, vt aſpectus circa atrum & candidum, ſimiliterque reliqui ſenſus, hinc ſenſum communem aiunt eſſe cæterorum velut Arbitrum & Iudicem.

III. Impertitur ſenſibus externis vim ad functiones ſuas obeundas per communicationem ſpirituũ animalium quos à ſe veluti fonte ac primario ſentiendi inſtrumento effundit, vnde cùm obſtruitur via illa cerebri vbi reſidet vis iſta Senſus Cõmunis per quam prædicti ſpiritus egrediuntur, vt in ſomno accidit, neceſſe eſt feriari externos ſenſus.

Vt in ſomno inquam, accidit: in eo enim obſtruuntur communia ad ſenſus externos oſtia, vaporibus è ventriculo in caput aſcendentibus. Cùm enim ſe quieti dat aliquis refrigerato mox aliquantulum cerebro addenſantur

vapores, ſicque ponderoſiores facti paulatim delabendo obturant meatus per quos ſpiritus animales ad externos ſenſus deferendi erant, & hæc Obſtructio non ſolùm impedit deſcenſum Spirituum animalium è cerebro, ſed etiam vitalium aſcenſum è corde ad idem cerebrum, cuius commercij ceſſatio quamdiu durat, tamdiu ſomnus perſeuerat.

Phantaſia eſt vis animæ qua res externæ communi ante ſenſu perceptæ concipiuntur, ſiue ſint preſentes, ſiue abſentes. Eius officia ſunt

I. Species per ſenſum communem delatas aliquandiu retinere.

II. Per eiuſmodi ſpecies quę dicuntur phantaſmata, res obiectas etiam abſentes cognoſcere.

III. Species ſenſatas, ſeu à ſenſibus externis primùm exceptas, tum per ſenſum communem ad ſe delatas inter ſe componere & etiam partiri ſeu diuidere, ex qua multiplici ſpecierum fabrica innumera effingi poſſunt & concipi, quò fit vt qui phantaſia pollent ingenioſi ſint ac induſtrii & ad multa excogitanda prompti.

IIII. Regere ipſum animal, vt enim homines ratione, ſic brutæ animantes imaginatione ducuntur.

Æſtimatiuæ ſeu Cogitatiuæ triplex eſt munus.

I. Cognoſcere per ſpecies non ſenſatas, nempe cognoſcere aliquid ſub ratione amici, vtilis vel inutilis, noti vel ignoti, iucundi vel moleſti, conſanguinei vel alieni; enumerantur

enim

enim hæ quinque coniugationes ſpecierum non ſenſatarum.

II. Coniungere ſpecies ſenſatas cùm non ſenſatis.

III. De rebus ſiue per ſpecies ſenſatas ſiue per non ſenſatas perceptis ferre iudicium. Species verò ſenſatæ dicuntur quaſi repræſentatiuę eorum quæ ſenſu aliquo percepta ſunt: Non ſenſatæ verò repræſentatiuæ alicuius rei ſenſibilis ſub aliqua ratione quæ ſenſu non percipitur, vt cùm oui repræſentatur lupus ſub ratione inimici.

Memoria eſt quaſi theſaurus ſpecierum quibus res eiuſmodi repræſentantur.

PRÆLECTIO VII.

De ſubiecto G. ſiue ſenſitiuo.

1. Quid ſit. 2. Quænam ſub eo contineantur. 3. Quot ſint ſenſus exteriores. 4. Indigent medio vt ſenſibile percipiatur. 5. Admittendas eſſe ſpecies Intentionales ad ſenſuum operationem. 6. De ſingulis ſenſibus ſpeciatim.

SEnſitiua eſt illa potentia cum qua anima ſentit res ſenſibiles per omnes ſenſus, ſicut 1
per viſum colorem, per auditum ſonum, per odoratum odorem, per guſtum ſaporem, per tactum perceptile tactu.

Sub eo continetur animal quod habet eſſe, 2
viuere, ſentire & apprehendere potentiis exterioribus, carens ſenſibus interioribus, aut po-

tius sine illis consideratum; potest enim sine illis intelligi, quamuis fortasse sine illis dari non possit.

Sunt autem singulares sensus exteriores.

3 Quinque { Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus,

Colligitur hic numerus ex quinq; generibus rerum sensibilium, & ex quintuplici sensus organo quod in animali cernitur. Priorũ quatuor sensuum organa suas peculiares in capite sedes habent, Tactus vero organum propter ipsius necessitatem toto corpore fusum est.

4 Hi ergo sunt quinque sensus externi, qui omnes indigent medio vel interno seu adhærenti ipsi viuenti, vt est cutis inter aquam frigidam infusam, & carnem seu musculos: vel externo seu disiuncto, vt est aër inter colorem & oculum, vt sensibile percipiatur, sensibile enim supra sensum positum non sentitur ex Aristotele: vbi per sensibile non est intelligenda qualitas sensibilis à corpore ad sensum propagata, nihil enim repugnat eiusmodi qualitatem ad organum vsque sensus deferri, & in eo recipi, & tamen ab eodem percipi vt patet in lumine, sono, odore, sapore & qualitatis tactilibus: sed accipiendum est corpus ipsum à quo dimanat eiusmodi qualitas, sic enim corpus luminosum organo visus appositum non percipitur: & probabile est si ipsa corpora sonora, odorifera aut

ſapida ipſis ſenſuum organis immediatè applicentur non ſentiri. Tactum tamen excipimus quia corpus calidum, aut frigidum, aut alia qualitate tactili affectum organo Tactus applicatum percipitur cum ſenſu doloris aut voluptatis, vt patet experientia.

Denique ad ſenſuum operationem admittendæ ſunt ſpecies quas vocant Intentionales, quæ ſunt qualitates quædam, ſeu ſigna aliqua formalia rerum ſenſibus Obiectarum, quæ ab Obiectis immiſſa, & in ſenſu recepta vim habent ipſum Obiectum repræſentandi, licet ipſa ſenſu minime ſint perceptibilia. Appellantur autem hæ qualitates Intentionales, quia per ipſas ſenſus tendit in Obiectum: exempli gratia cum oculus percipit colorem diſtantem, recipitur in oculo qualitas quædam quæ ab ipſo colore per intermedium aërem propagata, & in ipſo ſenſu viſus recepta vim habet ipſum colorem repræſentandi. Admittendæ inquam ſunt eiuſmodi ſpecies vt poſſit fieri ſenſatio, quia omnis actio fit per contactum, quo fit vt nihil agat in diſtans niſi per aliquid medium, atqui obiectum ſenſibile diſtat à ſenſu, & agit in ſenſum, ergo per aliquod medium agit, illud autem non poteſt aptiùs aſſignari quàm ſpecies quæ ab obiecto ad ſenſum vſque pertingit, quo fit vt in tenebris res non videantur, quia nempe colores egent luce vt ſui ſpeciem emittãt: Item res nimium diſtantes non intuemur, quia ſpecies ab eis traiectæ in medio deficiunt, itaut ad nos nequaquam poſſint peruenire. Illæ autem

ſpecies ab Obiecto ad ſenſum tranſmittuntur, non per tranſitionem, quo modo ſagitta à iaculatore verſus ſcopum emittitur, ſed per continuam propagationem, quomodo calor ab igne ad rem calefactã peruenit: & licet inſtantanea ſit ipſa ſpecierum Intentionalium propagatio, nihilominus tamen priùs natura concipitur obiectum ſui ſpeciem in parte ſibi viciniori diffundere, quàm in remotiori. Nec tantùm admittendæ ſunt euſmodi facultates in ſenſibus externis, ſed etiam internis. Et hæc generatim dicta ſufficiant de ſenſibus externis, nunc de his ſpeciatim.

DE VISV.

6 Organum viſus eſt oculus, cuius fabricam inuenies apud Opticos.

Obiectum adæquatum eiuſdem, eſt viſibile, id eſt quicquid primò per ſe videri poteſt: cuiuſmodi ſunt lumen (quod eſt qualitas patibilis, ac proinde materialis, ſubtiliſſima tamen, ac omnium corporearum qualitatum nobiliſſima) & color, qui eſt patibilis qualitas in corpore terminato vim habens immutandi perſpicuum actu. Quicquid enim videtur aut quatenus coloratum, aut quatenus luminoſum videtur.

Viſio fit receptis ab obiecto imaginibus ſeu ſpeciebus Intentionalibus.

DE AVDITV.

Facultas Auditus reſidet in organo aurium tanquam in ſubiecto.

Eius obiectum adæquatum eſt ſonus qui eſt

qualitas patibilis auditum afficiens. Fit autem ſonus per motum localem corporum quæ ad ſe inuicem alliduntur. Nam cùm inter ea quæ alliduntur ſit ſemper aliquid medium quod illorum alliſione exploditur, ſonus ex hac interiecti corporis expulſione & alliſione ſequitur. Sic enim aër inter duo corpora attrit⁹ primùm frangitur, deinde fractus ſonat. Corpora autem quæ ſonum edunt appellantur ſonantia non vt ſono affecta, ſed vt ſonum efficientia.

Medium per quod ſonus defertur ad auditum ſunt aër & aqua: non tantum intentionaliter, id eſt quoad ſui ſpeciem, verum etiam realiter. Et quidem de aëre certum eſt, de aqua vero cõſtat experientia, nam ſonum in aëre vicino editum piſces ſub aquis percipiũt, & ranæ coaxantes intra aquam audiuntur à nobis in aëre exiſtentibus. Idem de igne elementari quod de aëre ſentiendum. Quoad terram ſpectat probabile eſt ad aliquas vſque partes poſſe ſpeciem ſoni in illa propagari, non tamen ſonum ipſum, quia obſtat nimia illius ſoliditas; idemque dicendúm de aliis corporibus ſolidis ac præſertim de Cœlis, nempe per ipſos ſonum poſſe intentionaliter propagari non verò realiter.

Inter ſpecies ſoni ſunt Vox & Echo. Vox eſt animalium propria, non quidem omnium, ſed eorum in quibus organa ad eam efformandam neceſſaria reperiuntur. Definitur ſic: Vox eſt ſonus ore animalis prolatus in aëre à pulmonibus attracto cum quadam ſignificandi intentione præſertim in hominibus.

Echo eſt ſonus reflexus: & fit quando occurrit corpus concauum à quo reflectitur ſonus aut eius ſpecies. Non audiuntur autem in Echo niſi vltima ferè verba, quia licet fiat reflexio totius vocis, tamen priores eius partes à ſubſequentibus continuo prolatis turbantur, quare ſolæ poſtremæ partes quarum regreſſus, non impeditur à nobis percipiuntur.

DE OLFACTV.

OBiectum odoratus eſt odor, qualitas nempe odoratu perceptibilis quæ diffunditur per aërem & aquam. De aëre conſtat: de aqua probatur, quia piſces etiam noctu ſub aquis poſiti ad paſtum accurrunt odore allecti: Actus autem odorandi fit recepta ſpecie odoris intentionaliter ſiue realiter in ipſa facultate odorandi quæ reſidet in duabus narium portiunculis quæ ſunt carnoſæ ſubſtantię.

DE GVSTV.

GVſtus obiectum eſt ſapor, qui eſt qualitas ſecunda patibilis guſtum afficiens. Fit actio guſtus recepta ſpecie in eius organo, idque abſque externo medio in quo differt à tribus pręcedentibus ſenſibus, & cũ tactu conuenit; non tamen abſque interno nempe cuti & fortè carne ſpongioſa, per quam intermediam ſapor intentionaliter immutat facultatem guſtandi quę eſt in lingua, in cuius faſtigio ſeu cuſpide eſt tota vis guſtus, quia ea linguæ pars mollior exiſtit, eiuſque nerui ſunt ad ſapores percipiendos magis idonei.

DE TACTV.

OBiectum Tactus in genere dici potest qualitas quæuis tactu sensibilis. Sunt autem qualitates eiusmodi primæ vel secundæ. Illæ sunt quatuor vulgares *Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas*: Hæ verò *Durum, Molle, Asperum, Lene, &c.*

Id sibi peculiare vendicat iste sensus vt nullo indigeat medio siue externo, siue interno, quo suum obiectum percipiat. Et quidem quod nullo medio externo indigeat, sicut nec gustus, patet experientia, cùm videamus externa corpora vt aquam & aërem immediatè per suas qualitates agere in sensorium tactus, seu immutare ac sensibiliter afficere corpus animalis, licet inter illa & corpus animalis nihil sit interiectum.

Quod verò non opus sit interno medio probatur, quia organum Tactus est caro quæ tam cutem quam neruos complectitur, licet caro aliquo modo dici possit medium internum respectu nerui:

Organũ Tactus nulli parti corporis affixum est, sed per omnia eius membra fusum. Illud autem organum Tactus est non sola caro, nec solus neruus, sed vtrumque; vbi nomen carnis latè accipitur quatenus cutim, membranas & alia id genus complectitur.

Prælectio VIII.

De ſubiecto H. ſiue Vegetatiuo.

1. Quid ſit. 2. In hoc ſunt principia & regulæ ſpecificæ cum quibus agit. 3. Mutat elementatiuum in ſuam ſpeciem. 4. Functiones animæ vegetatricis & facultates cum earum diſcrimine. 5. Generale inſtrumentum earum potentiarum. 6. De his potentijs ſpeciatim.

1 V*Egetatiua* eſt illa potentia per quam naturaliter fit tranſmutatio de vna ſubſtantia in aliam. Itaque vegetatiuum dicimus illud cui conuenit eſſe & viuere, vt ea quæ generantur, nutriuntur & vegetantur, ſicut arbores & plantæ quæ viuunt licet ſenſu careant.

2 In vegetatiua ſunt principia & regulæ ſpecificæ cum quibus plantæ agunt ſecundum ſuas ſpecies in quibus ſunt. Quercus enim ſecundum ſuam ſpeciem agit, piper & roſa ſecundum ſuam, & lilium ſecundum ſuam.

3 Hæc eadem tranſmutat elementatiuam in ſuam ſpeciem per modum generationis, ex illa viuit, nutritur & creſcit, quare moritur vegetatiua, elementatiua ſibi deficiente.

4 Functiones autem Animæ vegetatricis ſunt tres:

Nempe { Nutritio
Accretio
Generatio.

Harum prima pertinet ad conſeruationem Indiuidui, altera ad perfectionem ſecundum molem corporis, tertia ad propagationem & conſeruationem ſpeciei: Iuxta quarum operationum numerum tres quoque potentiæ

Conſtituuntur { Nutriens,
Augens,
Procreans.

Inter quas non mediocre diſcrimen eſt. Primum quod obiectum nutritionis ſit alimentum prout eſt ſubſtantia, Accretionis prout eſt quantum, procreationis denique prout ipſius interuentu aliquid viuenti ſimile gigni poteſt.

Secundum diſcrimen eſt, quod virtus nutriẽs toto vitæ tempore perſeueret, augens deſiſtat vbi viuens ad ætatem conſiſtentiæ peruenit, procreans deficiat in iis quorum ætas effœta iam eſt.

Tertium eſt, quod tam altrix quàm auctrix facultas per totum corpus diffuſa ſit, procreatrix verò certam definitamq; ſedem obtineat, videlicet vbi ſuperfluum alimenti ſeminariam vim accipit.

Generale inſtrumentum facultatum animæ 5
vegetantis eſt calor naturalis à natura cuique viuenti inſitus, quem propterea natiuum ſeu naturalem vocant, quo pereunte omnis operatio viuentis intermoritur, quare Mortem definit Ariſtoteles 5. Polit. c. 8. Extinctionem caloris natiui in humido.

Poteſt & alius calor excitari in viuente ab externis cauſis quem aſcititium vocant à quo iuuari, imò etiam interdum ſuppleri poteſt naturalis, vt cum medicamenta calida ad fouendum ventriculi calorem & iuuandam concoctionem adhibentur.

6 Et hæc de Animæ vegetantis potentijs dicta ſint generatim, ad eaſdem quæ ſequuntur ſpectant ſpeciatim.

DE FACVLTATE ALENDI, *ſiue nutriendi.*

F*Acultas* alendi conuertit alimentum in rei quæ alitur ſubſtantiam. Huius potentiæ neceſſitas ex hoc colligitur, quod calor in dies humidum radicale extenuat, quocirca neceſſe eſt vt ſumpto alimento, eoque in ſubſtantiam aliti conuerſo, quod deperditum eſt continuò reparetur.

Alimentum autem duplex conſtituitur proximũ & remotũ. Proximum eſt quod iam ritè & præparatum & decoctum in ſubſtantiam viuentis immediatè conuertitur vt eſt ſanguis in ſingulis membrorum partibus. Remotum eſt quod aliqua aut certè multiplici coctione à viuente facta indiget antequam in ipſius ſubſtantiam conuertatur. Hoc autem vltimum debet eſſe partim ſimile, partim diſſimile. Nam ſi alimentum ante decoctionem eſſet omnino ſimile, non oporteret decoqui, quia inter omnino milia non datur actio: ſi autem eſſet om-

nino dissimile itaut natura viuentis ab eo penitus abhorreret, decoqui ab eo non posset. Secundò debet esse substantia mixta, itaut purum elementum non possit esse alimentum quia cùm alimentum in substantiam viuentis conuerti debeat, tale esse oportet vt eius qualitates à viuente ipso infringi & ad conuenientem mediocritatem reduci possit: at elementa pura habent qualitates viuenti repugnantes & longè potentiores vt ignis summum calorem, & aqua summum frigus: nihil tamen prohibet aliqua elementa extra naturalem statum posita & inuicem confusa nutriendis quibusdam viuentibus sufficere. Constat enim stirpium genus omne ex terra aquis madefacta fibris & radicibus pabulum attrahere: sic animalia quædam ex terra vt talpæ, alia ex aqua vt pisces, alia ex aëre vt Chameleon, alia ex igne vt pyraustæ sustentari videntur, cùm tamen verè non ex illis puris, sed aliorum corpusculorum concretione permistis nutriantur, apud nos enim nulla pura Elementa existunt.

Facultates administræ virtutis nutritiuæ sunt

Quatuor { Attractrix, Retentrix, Concoctrix, Expultrix.

De Facultate Accreſcendi.

ACcretio eſt mutatio ſecundum quantitatem qua idem numero viuens ex minore & imperfecta quantitate perducitur ad maiorem ſuæ naturæ debitam. Licet autem res inanimatæ nonnunquam augmentum capiant, vt foſſilia, ſeu mineralia in terræ viſceribus, attamen ab iſto genere augmenti differt viuentium accretio in tribus præſertim. Primùm quod hæc fiat per intus ſuſceptionem, deinde ab intrinſeco, denique ſecundum omnes partes etiam ad penitiſſimas vſque: at illa impropriè dicta Accretio fiat per iuxtapoſitionem materiæ ab extrinſeco, & ſecundum illam tantùm partem cui apponitur materia.

Notabis verò quod ſi plus ex alimento ſubſtantiæ comparetur quàm effluat è corpore, ſimul & nutriri & creſcere dici viuens: ſin verò tantumdem accedat quantum quotidie deperditur ſolam adgenerationem fieri, non autem accretionem totius viuentis, ſicque viuens ipſum nutriri non creſcere. Vbi animaduertere eſt non quamlibet qualitatis acquiſitionem dici propriè accretionem, ſed eam tantùm per quam maiorem totius corporis molem acquirit viuens, alioqui viuens dici poſſet toto vitæ tempore creſcere.

De facultáte Generandi.

DIximus ſupra hanc facultatem peculiarem ſibi ſedem vendicare, nempe vbi ſuperfluum alimenti ſeminariam vim accipit. Sed quid Generatio? Dupliciter accipitur Generatio: vno modo pro qualibet productione viuẽtis à quocunque, quomodo complectitur productionem animalium imperfectorum à cauſis æquiuocis ex putri materia; & hoc modo definitur *Proceßio rei viuentis ab aliquo*: Altero modo magis propriè pro viuentis productione ab alio viuente, quo poſteriori modo definitur *Proceſsio viuentis à principio vitæ coniuncto ſecundum rationem ſimilitudinis ſaltem in ſpecie infima.* Dicitur (*à principio vitæ coniuncto*) vt intelligas viuens debere eſſe initio productionis coniunctum producenti ſaltem ratione principii; ſic Leo genitus fuit in Leone generante ratione ſeminis. Defectu huius conditionis proceſſio Angelorum & quarumlibet rerum creatarum à Deo non dicitur generatio. Additur (*ſecundum rationem ſimilitudinis*) vt intelligas id quod hac generatione producitur debere eſſe generanti ſimile, ſi non in ſexu aut effigie, ſaltem in natura.

PRÆLECTIO IX.

De ſubiecto I. ſiue Elementatiuo.

1. Quid ſit Elementatiuum. 2. Quid contineat ſub ſe. 3. Quid ſit Elementum. 4. Quotuplex ſit, quot primæ qualitates earumque combinationes. 5. Scala naturæ.

1 ELementatiua eſt potentia in Elementatis cum qua Elementa exiſtunt & agunt actu, præſentia & potentia in ipſis elementatis. Ha-
2 bet autem Elementatiuum ſolum eſſe ſubſtantiale & continet ſub ſe primò quatuor Elementa ſimplicia; deinde omnia mixta inanimata in quibus non eſt vita, ſiue ſint perfecta, vt ſunt metalla & gemmæ: ſiue imperfecta vt nix, grando, pluuia: & etiã quæuis alia elementata quæcunque de quatuor Elementis ſunt compoſita, ſine vita tamen conſiderata licet vita non careant, vt animalia & plantæ, & homo ſecundum corpus.

Complectitur ergo Elementa: Sed quid Ele-
3 mentum? Elementum propriè idem eſt ac principium ex quo inſito fit aliquid, quomodo materia & forma dicuntur rerum naturalium elementa, definiturque ab Ariſtotele 5. Met. c. 3. *Id ex quo primo inſito & indiuiſibili in aliam ſpeciem aliquid componitur.* Et quoniam quatuor vulgata corpora ſimplicia ſunt ea ex quibus cętera omnia corpora primò conſtant, & in quæ reſoluuntur, cùm ex aliis non conſtent nec in

alia reſoluantur, hinc dicta ſunt Elementa. Eſt itaque hoc loco Elementum corpus ſimplex in quod alia corpora reſoluuntur. Dicitur (*Corpus*) ad excludendam materiam & formam. Secundò dicitur (*ſimplex*) ad reiicienda quæcunque mixta. Tertiò dicitur (*In quod cætera reſoluuntur*) ad remouendum cœlum quod licet ſit corpus ſimplex, non tamen in ipſum cætera reſoluuntur.

Cùm autem Elementum dicitur Corpus ſimplex, non eſt ita illud accipiendum, quaſi non ſit ex materia & forma compoſitum, alioqui non eſſet corpus naturale, ſed quia in aliud non reſoluitur. Vbi notandum eſt eſſentiales formas Elementorum non eſſe primas qualitates vt nonnulli opinati ſunt, verbi gratia formam ignis eſſe ſummum calorem &c. ſed eſſe actus ſubſtantiales à primis qualitatibus diſtinctos, neque enim conſtare poteſt totum ſubſtantiale ex non ſubſtantiis.

Non ſunt autem plura nec pauciora quàm quatuor Elementa,

Nempe
- Ignis qui eſt ſupra aërem iuxta concauum Lunæ, 4
- Aër qui in tres prouincias diſtribuitur ſupremam, mediam & infimã,
- Aqua,
- Terra.

Nam experientia compertum eſt mixtum in quatuor hæc Elementa reſolui, vt patet in ligno

quod dum comburitur, in flammam, fumum, ſpumam, & cineres reſoluitur.

Idem colligitur ex multis indiciis, vt quod quatuor tantùm ſint primæ qualitates, quarum vnaquæque in vnoquoque Elemento prædominatur.

Videlicet { Calor in igne, Humiditas in aëre, Frigus in aqua, Siccitas in terra.

Secundò quòd quatuor ſint earundem primarum qualitatum combinationes, quarum vnaquæque vnicuique Elemento competit,

Scilicet { Calor & ſiccitas igni, Humiditas & calor aëri, Frigiditas & humiditas aquæ, Siccitas & frigus terræ.

Competit, inquam, ſed ita vt quæ qualitates ſunt ordine primę in ſingulis combinationibus conueniant in gradu intenſo, quæ verò ſequuntur in gradu remiſſo. Nam ignis eſt ſummè calidus & remiſsè ſiccus: aër ſummè humidus & remiſsè calidus: aqua ſummè frigida & remiſsè humida: Terra ſummè ſicca & remiſſe frigida. Loquimur autem hîc de Elementis ſecundum naturalem ſtatum conſideratis, nam pro præſenti ſtatu ſępe immutatur iſta qualitatum temperies: neque enim aër eſt ſemper ſummè humidus, nec tantùm remiſsè calidus, ſed etiam ſimul nonnunquam intensè frigidus, ſaltem in hac infima aëris regione hyemis tempore: neq; aqua eſt ſemper ſummè frigida, ſed nonnunquam

quam moderatè calida seu tepida præsertim in æstate. Idem de terra dici potest quæ Autumnali & verno, imò fere omni tempore apparet humida & nonnunquam calida magis esse videtur quàm frigida, quod ex Elementorum vicinia & mutua eorumdem inter se pugna prouenit.

Hîc obiter notabis ex primis illis qualitatibus quasdam in elementis appellari Symbolas, quasdam verò dissymbolas. Illæ dicuntur in quibus duo Elementa conueniunt, vt est calor in igne & aëre: frigus in aqua & terra. Hæ verò in quibus dissentiunt, vt calor & frigus respectu ignis & aquæ: humiditas & siccitas respectu aëris & terræ, vnde Elementa quædam dicun- Symbola, nempe quæ in aliqua prædictarum qualitatum conueniunt, vt ignis & aër in calore: aër & aqua in humiditate: aqua & terra in frigore: denique terra & ignis in siccitate. Quædam verò dicuntur dissymbola quæ in nulla harum conueniunt vt sunt ignis & aqua: aër & terra.

Tertiò ostenditur quatuor esse Elementa, quod quatuor sint in humanis corporibus humores,

- Sanguis qui Aëri respondet,
- Flaua bilis seu cholera quæ Igni,
- Atra bilis seu melancholia quæ terræ,
- Pituita quæ aquæ.

Quartò, quòd sint quatuor Anni tempestates quæ vniquique Elemento etiam respondent

Nimirum { Hyems Terræ,
Autumnus Aquæ,
Æſtas Igni,
Ver Aeri. }

Quintò, quòd quatuor ſint lationes rectæ,

Scilicet { Latio ſurſum ſimpliciter, quæ Igni conuenit,
Latio ſurſum ſecundum quid, quæ Aëri,
Latio deorſũ ſimpliciter, quę Terrę,
Latio deorſum ſecundum quid, quæ aquæ. }

5 Priuſquam ad ſubiectum vltimum nempe *Inſtrumentatiuum* accedamus, obſeruabis ex quinque poſtremò ex poſitis ſubiectis, *Elementatiuo, Vegetatiuo, Senſitiuo, Imaginatiuo & Homine* colligi ſcalam naturæ, ſequentem quinque gradus generales habentem, ad quos tota rerum vniuerſitas reducitur, qui ſunt

Eſſe	*Viuere*	*Sentire*	*Imaginari*	*Intelligere*

Et infra quemlibet illorum eſſe multos gradus ſpeciales qui ſub vno gradu generali continentur.

Conditio iſtorum graduum eſt, vt omnis inferior poſſit eſſe ſine ſuperiori & non contrà. Omnis enim gradus ſuperior fundatur in inferiori, ideoque infimus gradus (Eſſe) eſt principium, radix & fundamentum ſcalæ in quo omnes alii gradus ſuſtentãtur, ipſum autem à nullo ſuſtentatur, nec in alio fundatur, ideo poteſt

ſeparatim ſine aliis reperiri, alii autem ſine ipſo reperiri minimè poſſunt. Sub hoc ſunt multi gradus dignitatis ſecundum quos aliqua res habet nobilius eſſe quàm alia: vbi enim ſunt nobiliores proprietates, ibi eſt nobilius eſſe: ſic in igne eſt nobilius eſſe quàm in aëre, quia in illo eſt ſubtilitas & leuitas maior quàm in hoc. Eſt inſuper nobilius eſſe in quo fundantur nobiliores gradus ſcalæ, & hoc idem de reliquis gradibus intelligendum.

Supremus gradus ſcalæ eſt (*Intelligere*) ſupra quem non eſt aſcenſus in ſcala naturæ: hic continet in ſe ſingulos gradus inferiores realiter, & quilibet gradus ſuperior ſuos inferiores.

PRÆLECTIO X.

De ſubiecto K. ſiue Inſtrumentatiuo.

1. *Quid ſit.* 2. *Quid contineat ſub ſe.* 3. *Quot modis conſideretur.*

INſtrumentatiuum eſt illa potentia quæ eſt inſtrumentum ſubſtantiæ, cum qua agit aliquod opus & per ſe exiſtere non poteſt. Con- 1
tinet ſub ſe omne id quod habet eſſe in alio vt 2
in principe ſubiecto, & conſideratur duplici- 3
ter vel abſolutè ſecundum ſe, vt ſi dicatur de Iuſtitia ſecundum ſe conſiderata: vel quemadmodum ſubiecto alicui adiungitur, vt ſi dicatur de Iuſtitia Dei, vel hominis & tunc reducitur ad genus ſui ſubiecti, cuius obſeruandæ ſunt conditiones. Sed quia hoc vltimum ſubiectum in ſequenti Claſſe accuratiùs pertractaturi ſumus, hanc ſecundam Claſſem ſubducamus ab æquore.



TERTIA CLASSIS.

De vltimo ſubiecto K. ſiue Inſtrumentatiuo accuratiùs.


PRÆLECTIO I.

1. Inſtrumentum dupliciter conſideratum. 2. Decem Categoriæ. 3. Quid ſit Categoria. 4. Duplex ſeries in ſingulis Categorijs. 5. Quid ſit terminus Categoricus, tranſcendens & ſupertranſcendens.

1 INſtrumentatiuum conſideratur iterum dupliciter.

Scilicet { Naturaliter & Moraliter.

Si naturaliter, continet in ſe nouem prædicamenta accidentis cum quibus ſuſtantia naturaliter agit, & quicquid artificialiter inſtrumenliter agit, & quicquid artificialiter inſtrumentum eſt alicuius operis inquantum inſtrumen-
2 tum eſt. Inſtrumentatiui ſic conſiderati talem conſtituo figuram litera I. prænotatam, in cuius centro ponitur ſubſtãtia cui circumſcribuntur accidentia Quantitas, Qualitas & cætera accidentia ſeu inſtrumenta naturalia.



Hæc sunt decem suprema genera Peripateticorum, qui numerus denarius colligitur ex iis quæ de aliquo particulari quæri possunt:

Aut enim quæritur
- Quid ſit,
- Quantum ſit,
- Quale ſit,
- Cuius ſit,
- Quid agat,
- Quid patiatur,
- Quo habitu ſit,
- Quo ſitu,
- Quando ſit,
- Vbi ſit,

& nihil eſt in tota hac rerum vniuerſitate ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale quod ad vnum eorum non pertineat.

3 Vniuſcuiuſque autem ſummi generis, & eorum quæ ſub ipſo ſunt naturalis diſpoſitio vocatur aut Categoria,(quod vocabulum ſignificat ſeriem multorum prædicabilium ſub vno ſummo genere, in qua ſerie ſeu coordinatione ſuperiora, quæ vocantur categoremata, aliquid de inferioribus declarant:) aut prædicamentum latinè id eſt prędicabilium receptaculum.

4 Sciendum autem eſt ſub vnoquoque ſupremo genere duplicem eſſe ſeriem, alteram directam in qua plura ſupremo generi directè ſubiacent vt ſunt genera, ſpecies & indiuidua, eo tamen ordine ſeruato, vt quæ ſunt priora, ſuperiora, ſeu generaliora ſupremo generi ſint viciniora: quæ verò poſteriora, inferiora & minus vniuerſalia, loco indiuiduis viciniore collocentur: alteram indirectam ſeu lateralem quę continet differentias generum diuiſiuas, & ſpecierum conſtitutiuas; Item principia interna &

partes eorum quæ in ſerie directa reponuntur.

Inſuper cùm terminus Categoricus generatim dici poſſit qui alicuius Categoriæ ambitu continetur, ſpecialiùs autem pro ſupremo genere cuiuſque Categoriæ, & decẽ ſint ſuprema genera, hinc generatim decẽ termini categorici conſtituuntur, videlicet *Subſtantia. Quãtitas*, &c. ſpeciatim verò tot ſunt Categorici termini, quot ſunt rerum genera quę ſub illis ſupremis generibus continentur. 5

Præter terminos Categoricos, ſunt alii tranſcendentes & ſupertranſcendentes. Terminus tranſcendens ſic dicitur, quod Categoriarum cancellos tranſcendere videatur, & longè vniuerſalior eſt categorico, cùm de omni ente vero & reali dici poſſit. Sunt autem eiuſmodi termini ſex, qui hoc artis vocabulo *Reubau* exprimuntur.

Nempe { Res, Ens, Vnum, Bonum, Aliquid, Verum.

Supertranſcendens autem eſt qui tranſcendenti adhuc vniuerſalior eſt, & non tantùm de omni ente reali, ſed etiam de fictitio & imaginario verè prædicatur.

Vt { Imaginabile, Opinabile, Cogitabile &c.

Nunc de ſingulis Categoriis ſigillatim.

PRAELECTIO II.

De Subſtantia.

1. *Quid ſit.* 2. *Eius proprietates.* 3. *Series.*

1 SVbſtantia eſt ens ſubſiſtens, ſeu per ſe exiſtens. Hæc definitio non ſolùm conuenit primis, ſeu particularibus ſubſtantiis, id eſt Indiuiduis quæ primò per ſe ſubſiſtunt, ſed etiam ſecundis, ſeu vniuerſalibus, etſi enim quatenus vniuerſales & præciſæ, non ſubſiſtant, ſunt tamen aptæ ſubſiſtere in particulari: *Proprietates*
2 Subſtantiæ ſex traduntur ab Ariſtotele.
1 1. Non eſſe in ſubiecto: intellige in ſubiecto inhæſionis more accidentium, quod non tam ſecundis quàm primis ſubſtantiis conuenit.

II. Dici ſynonymè quod ſolis ſubſtantiis ſecundis conuenit, primæ enim ſeu particulares ſubſtantiæ de pluribus non dicuntur.

III. Primam ſubſtantiam ſignificare hoc aliquid, id eſt naturam particularem: ſecundam verò ſignificare quale quid, id eſt naturam qualitate aliqua nempe vniuerſalitate affectam.


IIII. Nihil habere contrarium, quod quidem omni, ſed non ſoli ſubſtantiæ competit, ſunt enim quædam accidentia quę non habent contrarium, vt quantitas & nonnullę qualitates. Et quamuis quędam ſubſtantię inter ſe pugnare videantur, vt ignis & aqua, non tamen quatenus ſubſtantię, ſed quatenus contrariis qualitatibus nempe calore & frigore, humidi-

tate & ſiccitate prçditæ ſunt, ſicque ſubſtantiæ ſubſtantia per ſe non eſt contraria. Nec dicas differentias oppoſitas eſſe contrarias, verbi gratia rationale & irrationale, etſi enim opponantur non ſunt tamen propriè contrarię.

V. Non ſuſcipere magis & minus; ſeu non poſſe prædicari ſecundum magis & minus vti ſolent quædam accidentia, verbi gratia calor & frigus, quod ex eo prouenit quòd illa accidētia ſecundum ſuam entitatem magis aut minus participentur à ſuis ſubiectis, hoc autem de ſubſtantia dici non poteſt, cuius entitas ſecundum participationem eſt indiuiſibilis.

VI. Eandem numero ſubſtantiam poſſe ſuſcipere contraria, quod intelligendum eſt ſecundum diuerſam temporis differentiam, neq; enim contraria in eodem ſubiecto ſimul eſſe poſſunt, ſaltem in gradu intenſo. Neque tamen exiſtimandum eſt omnem ſubſtantiam omnis contrarietatis capacem eſſe, imò dari poteſt aliqua ſubſtantia omnis contrarietatis expers, id eſt in quam contraria cadere non poſſunt nempe Cœlum. Deinde Cygnus natura ſua candidus nigredinem non poteſt ſuſcipere, ſicut nec Coruus albedinem, licet tamen alia contrariorum genera poſſint ſuſcipere.

3 *Series directa Categoriæ ſubſtantiæ.*



PRAELECTIO III.

De Quantitate.

1. *Quid ſit.* 2. *In quo poſita ſit ratio eſſentialis quãtitatis.* 3. *Species quantitatis.* 4. *Proprietates.*

1 QVANTITAS eſt principium ratione cuius entia creata ſunt finita ſiue terminata: vel, Eſt oratio qua vnumquodque quod eſt extra nihil, quantum eſt. Et ſi mauis eſſentialem definitionem. Quantitas eſt ratio extenſionis partium in ordine ad ſe: Vbi per (*Ratio-*

nem) intelligitur ratio formalis:per(*Extẽſionem*) ordo quidam & ſitus:per (*Partes*) intelliguntur partes ſubſtantiæ corporeæ integrantes. Additur (*In ordine ad ſe*) ne putes extenſionem in ordine ad locum eſſe eſſentialem. Eſt enim duplex extenſio rei quantæ, altera interna à ſenſibus planè remota, nempe extenſio partium in ordine ad ſe, cuius acceſſu partes ſubſtantiæ integrantes inter ſe cõfuſæ & permixtæ diſtinguntur, ordinemque ac ſitum inter ſe habent, & in hac poſita eſt ratio eſſentialis quantitatis; quam ſententiam fides confirmat docens in ſacramento Euchariſtiæ Chriſti corpus totam ſuam quãtitatem habere quam habet in Cœlo, abſque tamen extenſione in ordine ad locum. Altera eſt externa, quæ nihil eſt aliud quàm proprietas quantitatis ex illa interna & eſſentiali extenſione profluens, quia ſubiectum fit diuiſibile, menſurabile, æquale alteri, vel inæquale, finitum vel infinitum, vnum vel multiplex. 2

Res autem cuius ſunt illæ partes extenſæ, vel eſt permanens, vel fluens & ſucceſſiua. Permanentis tres ſunt ſpecies 3

Nempe { Linea,
Superficies,
Corpus ſiue craſſities.

Quantitatis autem ſucceſſiuæ ſunt duæ

Videlicet { Motus

Tempus quatenus est mensura interna cuiusque motus, nam quatenus est externa mensura pertinet ad Categoriam Quando. }

Linea est longitudo sine latitudine, eaque recta vel curua.

Superficies est latitudo sine profunditate eaque plana vel curua.

Corpus est quantitas trina, constans longitudine, latitudine & profunditate, idque orbiculare, vel angulare, vel mixtum.

Motus est fluxus formæ: vel est continua & non interrupta successio partium mutationis.

Triplex autem est motus.

I. Accretionis & decretionis, siue augmentationis & diminutionis, secundum quantitatem.

II. Alterationis, secundum qualitatem.

III. Lationis seu motus localis secundum locum, isque rectus sursum, deorsum, orbicularis, mixtus.

Tempus est duratio motus ratione priorum partium & posteriorum: seu iuxta Aristotelem, mensura motus secundum prius & posterius. Distinguitur autem hæc species à motu, quòd motus sit ipsa successio partium motus, hæc verò duratio successionis illius.

Præter has quinque species legitimas Quantitatis sunt tres aliæ nothæ & minus legitimæ, quarum.

Prima est *Numerus* qui dicitur quantitas discreta, eò quod constet partibus discretis seu disiunctis ad distinctionem quãtitatis continuæ, quæ constat partibus vinculo copulatis.

Secunda est Oratio, quæ ex multis syllabis constat, vnaquæque autem syllaba sonus est articulatus ab alia syllaba distinctus.

Tertia esset locus nisi potius ad Categoriam Vbi pertineret.

Proprietates Quantitatis præter has quas obiter notauimus, sunt tres. 4

I. Quantitati nihil esse contrarium, quod intelligendum de propria contrarietate, reperitur enim quædam impropria contrarietas inter maiorem & minorem quantitatem.

II. Quantitem non suscipere magis & minus, licet suscipiat plus & minus: ratio est quia non possunt plures quantitatis partes in eadem subiecti parte recipi, sicut possunt plures eiusdem qualitatis, verbi gratia caloris gradus in eadem parte subiecti reperiri: sic enim vnum dicitur calidius altero, non quia plures partes habet calidas, sed quia partes habet calidiores.

III. Res ab ea denominari æquales vel inæquales quod accipiendum de propria æqualitate vel inæqualitate, nempe extensionis, alioqui æqualitas & inæqualitas dici possunt in aliis rerũ generibus, sed minus propriè; sic enim duos homines æquè doctos æquales dicimus æqualitate nempe perfectionis.

PRÆLECTIO IV.

De Qualitate.

1. Necessitas huius prædicamenti in hac arte Lulliana. 2. Quid sit Qualitas. 3. Propria & appropriata qualitas. 4. Appropriatæ qualitates non solùm in creatis sed etiam in Deo. 5. Quatuor species qualitatis. 6. Eiusdem proprietates.

1 HVius prædicamenti cognitio maximè necessaria est in hac arte Lulliana, vt quæ per definitionem cognoscere nequimus, per descriptionem saltem cognoscere valeamus, eam constituendo per quantitatem de qua suprà, & qualitatem de qua nunc, applicando hęc omnia prout decet infinitè Deo, sed finitè creatis.

Qualitas itaque est principium ratione cuius
2 res sunt quales; sic ratione Iustitiæ homo dicitur iustus; ratione bonitatis, bonus: ratione albedinis, albus. Vel: qualitas est vniuscuiusque entis secundaria perfectio, siue propria, siue appropriata. Dicitur (*Perfectio secundaria*) quia ab essentiali seu primaria perfectione trahit originem, quam ob rem propriam nominamus, sicque definitur; Qualitas quę rei conuenit per se, & non per aliud, vt risibilitas homini, hinnibilitas equo, caliditas igni, humiditas aëri, siccitas terræ. Dicitur secundò, (*Propria siue appropriata*,) quia præter proprias qua-

3

litates quæ rei competunt per se, sunt & aliæ perfectiones appropriatæ, quæ per aliud aliis competunt, vt calor aëri qui ignis virtute inducitur: aquę humiditas, quę ab aëre causatur: siccitas igni, quam ratione terrę possidet. Hinc sequitur qualitates omnes tam primas quam secundas in elementatis corporibus appropriatas esse, & hoc, ratione elementorum, quę in ipsis virtualiter continentur.

Appropriatæ quoque perfectiones in Deo reperiuntur, quę licet natura sua sint communes tribus personis, tamen propter aliquid personę conueniens, & non alteri quędam appropriatæ fiunt: Potentia enim Patri attribuitur, cùm sit principiũ totius Trinitatis: Filio sapiẽtia appropriatur, quia per modum Intellectus à Patre generatur, cuius Intellectus sapientia est subsistens, summaque perfectio: Spiritui verò Sancto bonitas fit appropriata, quia à volũtate spiratur, quæ diuinam essentiam respicit tanquam summum bonum. 4

Qualitatis species, ad quas tanquam ad capita omne genus qualitatis reuocandum est. 5

Quatuor sunt:
- Habitus & dispositio,
- Naturalis potẽtia & impotẽtia,
- Patibilis qualitas & passio,
- Figura & forma.

Prima ergo est *Habitus & Dispositio*, vbi habitus accipitur pro eo genere qualitatis qua benè vel malè subiectum afficitur: Dispositio verò

pro habitu inchoato, necdum in ſubiecto firmiter inhęrente. Ex quo intelligere eſt habitum & Diſpoſitionem hic pro eadem ſpecie qualitatis accipi, quę cùm leniter inhæret, appellatur diſpoſitio cùm vero firmiter, appellatur habitus. Itaque ſicut poteſt homo idem ex puero in virum euadere, non mutata ſpecie; ita eadem numero qualitas poteſt ex diſpoſitione fieri habitus.

Habituum autem varia ſunt genera: alii enim ſunt Animi, alii corporis. Qui ſunt in animo: aut ſunt infuſi diuinitus, vt gratia gratum faciens, virtutes Theologicæ, dona Spiritus ſancti, & gratiæ gratis datæ. Aut ſunt acquiſiti, vt prudentia, ſcientia, ars, error, opinio, virtutes & vitia.

qui ſunt in corpore, aut illud benè afficiunt, aut malè idque vel ex toto, vel in parte. Corpus ex toto benè afficit ſanitas, robur &c. malè verò infirmitas & imbecillitas. Ex parte verò benè afficiunt velocitas pedum: malè verò vniuſcuiuſque membri indiſpoſitio, langor, & peculiares morbi.

Secunda ſpecies eſt naturalis potentia & imbecillitas ſiue impotentia. Naturalis potentia eſt qua fortiter quæque res agit aut reſiſtit. Imbecillitas verò hic non eſt priuatio, ſed potentia debilis.

Differt autem à prima ſpecie hæc ſecunda ſpecies; primò, quod habitus & diſpoſitio ſit qualitas acquiſita, at naturalis facultas ſit à natura nobis congenita. 2. quod facultas naturalis vim ſimpliciter operandi tribuat, itaut illa

ſublata

ſublata, nulla ſuperſit operandi potentia: habitus verò vim faciliùs operandi, itaut ſublato habitu poſſit adhuc res, licet non cum tanta facilitate operari.

Facultatum autem aliæ ſunt rerum inanimatarum propriæ, quæ variæ ſunt pro varia conditione naturæ cuiuſque: aliæ rerum animatarum quarum quædam generales, quædam ſpeciales. Generales ſunt triplicis generis; quædam enim ſequuntur gradum animæ vegetantis, aliæ gradum ſenſitiuæ, aliæ gradum rationalis: vnde facultas animæ in genere triplex eſt, vegetatiua, ſenſitiua, rationalis.

Speciales verò aliæ ſunt propriæ quarundam plantarum vt vis dyctami vulnerum ſanatiua: aliæ quarundam belluarum, vt rugire in leonibus, hinnire in equis. Aliæ tandem hominum, vt admirari, loqui, &c.

Tertia eſt patibilis qualitas & paſſio, quæ ita appellantur, non quòd omnes ex paſſione aliqua naſcantur, ſed quòd omnes paſſionem aliquam in ſenſu per ſe efficiant. Dixi *per ſe*, vt excludam formam & figuram quæ ratione luminis, coloris & quantitatis ſenſu percipiuntur, non verò per ſe.

Differt autem patibilis qualitas à paſſione, quòd patibilis qualitas diuturniori tempore duret, vt pallor ex diuturno morbo contractus, aut canities ex vehementiſſimo metu: at paſſio breuiori tempore duret, vt pallor ex metu, vel rubor ex pudore.

Quarta ſpecies eſt forma & figura quæ naſ-

citur ex partium quantitatiuarum ſitu ac poſitione, ita vt realiter ſit eadem cum quantitate, licet ab ipſa formaliter diſtinguatur. Licet autem eadem exterior compoſitio forma & figura indiſcriminatim appellari poſſit, Philoſophi tamen compoſitiones exteriores in naturalibus & phyſicis rebus libentiùs appellant formas, in mathematicis verò & intelligibilibus figuras.

Proprietates huius prædicamenti generales ſunt tres.

I. Habere contrarium, quod licet non omnibus conueniat, ſolis tamen qualitatibus conuenit, quia pugna illa mutua quæ ad rationem contrarietatis neceſſaria eſt, inter ſolas qualitates propriè reperitur, & beneficio illarum eadem reperitur pugna inter quaſdam ſubſtantias & earum actiones.

II. Suſcipere magis & minus, ſeu intendi & remitti, quod non omnibus qualitatibus, verbi gratia naturalibus facultatibus & formis ac figuris conuenit, ſed pleriſque, vt habitibus & patibilibus qualitatibus.

III. A qualitate res dici ſimiles vel diſſimiles.

PRÆLECTIO V.

De Relatione.

1. *Quid sit.* 2. *Discrimen, inter relationem propriè dictam & impropriè dictam.* 3. *proprietates Relatorum.*

RElatio est principium ratione cuius aliquod ens formaliter ad aliud refertur, non tanquam ad subiectum aut obiectum vel finem, sed tanquam ad terminum. 1

Et quia duplex est relatio. 2

Nempe { Categorica seu propriè dicta aut secundum esse, Et Impropriè dicta seu secundum dici: }

vt vera secernatur ab impropria, Obseruabis in relatione propriè dicta tria esse consideranda, subiectum in quo sit relatio: fundamentum propter quod in subiecto sit talis relatio: & terminū ad quem spectet relatio: verbi gratia paternitas est relatio categorica, seu ratio formalis per quam pater refertur ad filium, cuius relationis subiectum est homo qui genuit; fundamentum est cùm facultas qua potuit generare, tum præterita generatio: Terminus verò est filius qui genitus est.

Quoniam autem relationes categoricæ mutuæ sunt, ita vt relationi relatio opposita respondeat, hinc fit vt subiectum relationis, relatum seu relatiuum appelletur, terminus verò

dicatur correlatiuum ſeu correlatum: ambo verò dicantur correlata, ſeu correlatiua, & etiam extrema, quia inter ipſa verſantur oppoſitæ relationes: Verbi gratia inter patrem & filium relatio paternitatis ex vna parte, & ei oppoſita relatio filiationis ex altera.

Quia item extrema Categoricarum relationum & fundamenta quoque quibus innituntur ſunt realia & actu exiſtentia, realiterque inter ſe diſtincta, hinc fit vt huiuſmodi relationes ſint poſitiuæ & reales, rebus enim poſitiuè conueniunt, & in ipſis exiſtunt ante omnem operationem intellectus. Quare ſi detur aliqua relatio cuius extrema aut fundamenta non ſint realia, aut non realiter inter ſe diſtincta, aut non actu exiſtentia, negandum eſt huiuſmodi relationem eſſe realem, ac proinde categoricam, qualis eſt relatio rei cognitæ ad intellectum, rei viſæ ad oculum, & relatio Dei ad creaturas. Relatio inquam Dei ad res creatas, quia ſi talis relatio eſſet realis, ſequeretur aliquid reale poſſe eſſe, & non eſſe in Deo. Cùm enim relationes non tantùm à ſubiecto & fundamento: ſed etiam à termino pendeant vt ſint, ſequitur ſublato termino relationem deperire, quare cùm res creatæ poſſint non eſſe, ſequeretur illas relationes ad crearuras poſſe non eſſe, ac proinde dari aliquid reale contingens in Deo, quod illius immutabilitati repugnat.

Proprietates relatorum quinque traduntur.
3 Prima eſt: In relatis contrarietatem reperiri, vt ſunt ſimile & diſſimile quæ dicuntur contraria,

quia illorum termini ſcilicet candor & nigredo contrariè opponuntur. Quod ſi per contrarietatem intelligas oppoſitionem, relata præſertim mutua dicentur contraria, id eſt oppoſita: ſic pater & filius relatiuè inter ſe opponuntur.

II. Relata ſuſcipere magis & minus, ſeu intendi & remitti: ſic enim duo ſimilia poſſunt fieri magis ſimilia, vel minus ſimilia. Hæc autem proprietas non omnibus relatis conuenit, ſed quibuſdam, ita tamen vt ſemper aliqua mutatio requiratur, aut ex parte fundamenti, aut ex parte termini, non quòd neceſſe ſit ſemper intendi fundamentum vel terminum, vt relatio intendatur: aut remitti, vt remittatur, cùm ſæpe contingat contrarium, nempe fundamentum vel terminum remitti; & relationem intendi, vt cùm duorum candidorum quorum alterum eſt candidius altero, vnum remittitur quod eſt candidius, tunc enim maior eſt ipſorum ad inuicem ſimilitudo: è contrà poteſt remitti relatio cum alterum extremorum intenditur: vt ſi duorum æquè candidorum alterum fiat candidius, tunc enim maior erit iſtorum inter ſe diſſimilitudo quàm anteá.

III. Relata eſſe reciproca: quod intelligendum de correlatiuis, ſic pater dicitur filij pater: & filius patris filius.

IV. Relata eſſe ſimul natura: quod intelligendum de correlatiuis quatenus formaliter ſunt relata; ſi enim conſiderentur quatenus abſoluta, vnum poterit eſſe natura, imò etiam tempore prius altero; verbi gratia pater & filius

ſecundum rationem formalem paternitatis & filiationis ſunt ſimul natura, neque enim quiſquam pater dici poteſt ſine filiò, nec è contra: ſi verò conſiderentur quatenus ſunt homines, tunc pater natura ſimul & tempore filium antecedit.

V. Cognito vno relatorum alterum cognoſci: ratio eſt quòd vnum relatorum per alterum definiri & explicari ſolet, vnde nemo noſſe poteſt quid ſit pater ſine filio, nec quid ſit filius ſine patre: eſt enim pater filij, pater: & filius, patris filius.

PRÆLECTIO VI.

De actione & paſſione.

1. *Quid ſit actio & paßio.* 2. *Proprietates.* 3. *Actionum & paßionum variæ diuiſiones & ſpecies.*

LIcet Actio & paſſio diuerſa conſtituant prædicamenta, quia tamen ſunt inter ſe perpetuò connexæ, nec vna facilè intelligi poteſt ſine altera, de vtraque ſimul dicendum.

1 Actio ergo eſt principium ratione cuius agẽs agit in paſſum: vt calefactio eſt principium ratione cuius ignis agit in lignum.

Paſſio verò eſt principium ratione cuius patiens patitur ſub agente, vt eadem calefactio quatenus recipitur in ligno.

2 Proprietates vtriuſque duæ ſunt.

I. Suſcipere magis & minus: nam pro maiori & minori virtute agentis intenſior aut remiſ-

ſior eſt actio: item pro minore aut maiore reſiſtentia patientis, intenſior aut remiſſior eſt actio.

II. In actione & paſſione eſſe contrarietatem, ſic enim calefactio eſt contraria frigefactioni.

Actionum & paſſionum variæ ſunt diuiſio- 3
nes. Diuiditur enim actio præſertim, aut ratione *durationis*, aut ratione *ſubiecti in quo recipitur*, aut ratione *Principij ex quo oritur*.

Ratione *durationis* Actio diuiditur

In { Inſtantaneam, vt eſt illuminatio,
&
Succeſſiuam, vt eſt calefactio. }

Ratione ſubiecti diuiditur

In { Immanentem, quæ manet in ipſomet agente vt eſt intellectio, volitio, nutritio, accretio, &c.
&
Tranſeuntem, quæ ab agente tranſit in aliud ſubiectum, vt calefactio quæ ab igne tranſit in lignum quod calefit. }

Ratione principii diuiditur

In { Artificialem, cuius principium eſt ars vt ædificatio;
&
Naturalem, cuius principium eſt natura. }

PRÆLECTIO VII.

De habitu.

1. *Quid sit.* 2. *Dicitur etiam habere.*

1 HAbitus hic non accipitur ſicut in prima Qualitatis ſpecie,ſed pro reſpectu rei alicuius ab extrinſeco alteri rei adiacentis per modum indumenti vel ornatus , ſiue totum reſpiciat,vt reſpectus tunicæ ad eum qui eſt ea indutus : ſiue partes vt reſpectus annuli ad digitum.

Hæc Categoria vocatur etiam habere, quod
2 vocabulum concretum eſt,cuius materiale ſignificatum eſt id quod habet aliquid , formale vero,res habita per modum indumenti vel ornamenti.

PRÆLECTIO VIII.

De Situ.

1. *Quid ſit.* 2. *Diſcrimen inter Situm & Vbi.* 3. *Eius ſignificatio.* 4. *Situs multiplex.*

1 POſitio ſiue ſitus, eſt ordo partium alicuius totius ad ipſum totum & ad locum : In quo
2 Situs ab vbi differt,quia vbi ſignat tantùm reſpectum ad locum , Situs autem præter hunc, alium denotat. Situm autem eſſe, habet ratio-
3 nem concreti termini , cuius materiale ſignificatum,eſt res ſita, formale verò eſt ſitus quatenus accipitur pro certa diſpoſitione partium rei

locatæ ad ſeipſam & ad partes loci.

Ex prima diſpoſitione partium rei, ſcilicet ad rem ipſam, ſiue ex ordine partiũ alicuius totius ad ipſum totum, varia forma ſeu figura exterior naſcitur; vnde alius membrorum ſitus in belluis, alius in homine. Et adhuc alius membrorũ ſitus in eodem homine iacente, alius in eodem ſedente, alius in erecto, qui ſitus non videntur diſtingui ex quorundam ſententia à forma ſeu figura quæ eſt quarta ſpecies qualitatis. 4

Ex altera diſpoſitione partium, ſcilicet rei ad locum, varius etiam ſitus naſcitur. Nam vel eſt naturalis vt eſt in homine ſtare erecto capite, in belluis vero eſſe prono corpore: vel accidentalis, idque aut in rebus animatis, vt ſtare, iacere, genuflectere, inclinari, ante vel retrò ſedere &c. aut in rebus inanimatis præſertim in artificioſis, vt in domo quæ bene vel malè ſita dicitur.

PRAELECTIO IX.

De Tempore ſeu Quando.

1. Quid ſit. 2. Significatum vocabuli Quando 3. Eſſe in tempore dici dupliciter.

QVando, eſt reſpectus temporis ad rem temporariam, vt reſpectus huius horæ ad rem tali tempore exiſtentem cuius operationem vel motum metitur. 1

Eſt autem vocabulum Quando, concretum cuius materiale ſignificatum eſt res quæ tempori coëxiſtit: formale vero tempus quatenus 2

eſt menſura externa durationis alicuius.

Dicitur. *Quatenus eſt menſura externa* : nam tempus internum quod eſt menſura interna cuiuſque motus illi adiuncta, pertinet ad Categoriam quantitatis : verbi gratia continua & ſucceſſiua duratio motus cœleſtis, quatenus eſt interna motus eiuſdem menſura, ſpecies eſt quãtitatis ſucceſſiuæ : at verò quatenus eſt menſura durationis rerum ſublunarium, ſeu quatenus ipſo, vel ipſius partibus vt horis, diebus, menſibus, annis &c. vtimur ad menſurandas durationes harum rerum ſublunarium, ad hoc prædicamentum pertinet.

3 Cæterùm eſſe in tempore, aut generatim dici poteſt, vt eſſe in tempore præterito, præſenti, vel futuro : aut ſpeciatim, vt eſſe in ſæculo, anno, menſe, die, hora.

Praelectio X.

De loco ſeu vbi.

1. *Quid ſit.* 2. *Quotuplex ſit.* 3. *Eſſe in loco dicitur dupliciter.*

1 Locus ſeu vbi, eſt principium ratione cuius vna ſubſtantia aliam in ſe continet. Eſt autem multiplex vbi.

Nempe
- Repletiuum, vt Dei in mundo & animæ in corpore. 2
- Definitiuum, videlicet ſecundum operationem etiam in abſentia rei, vt Solis in terra, ſecundum quem modum Angeli dicuntur eſſe in loco.
- Occupatiuum vt corpus occupans locum in alio corpore.
- Continentiæ, quod continet in ſe.

Hoc tamen Prædicamentum propriè conuenit ſolis rebus corporeis quæ ab alio corpore ambiuntur, vnde Angeli & animæ non propriè dicuntur eſſe in loco, imò nec Cœlum Empyreum alicubi eſſe propriè dici poteſt, quia à nullo alio corpore ambitur, nec dici poteſt eſſe in loco reali & poſitiuo, ſed tantùm in loco imaginario.

Denique eſſe in loco, aut abſolutè, aut reſpectiuè dici poteſt. Abſolutè quidem dici poteſt eſſe in loco communi, vt eſſe Pariſiis, eſſe in Gallia &c. vel in loco proprio. Eſſe verò in loco reſpectiuè dicitur 3

His ſex modis
- Suprà
- Infrà
- Ante
- Retro
- Dextrorſum
- Siniſtrorſum.

Et hæc de Inſtrumentatiuo naturaliter conſiderato dicta ſufficiant, per quæ poterit Lullij ſtudioſus rem ſatis ornare quam tractabit. Se-

quitur vt de eodem ſubiecto moraliter ſumpto agamus.

PRAELECTIO XI.


De Inſtrumentatiuo moraliter ſumpto.


1. *Inſtrumentatiui diuiſio.*

INſtrumentatiuum moraliter ſumptum diuitur

In { Virtutes & Vitia }

quæ ſub duobus nouenariis Lullius comple-ctitur, quorum figuras ita fabricamus,





quas duabus prælectionibus ad exitum perducemus.

PRAELECTIO XII.

De virtutibus.

1. Quid sit Fides. 2. Quid Spes. 3. Quid Charitas & eius indicium. 4. Quid Patientia. 5. Quid Pietas. 6. De Virtutibus Cardinalibus generatim. 7. Quid sit Prudentia. 8. Iustitiæ & eius partes integrantes. 9. Fortitudo. 10. Temperantia.

FIdes eſt donum Dei ac lumen quo illuſtratus homo firmiter adhæret iis, quæ vt credantur ſunt diuinitus reuelata, & ab Eccleſia nobis propoſita: cuiuſmodi ſunt Deum eſſe trinum & vnum: mundum è nihilo creatũ: Deum factum eſſe hominem, & pro nobis mortem ſuſtinuiſſe: Diuam Mariam & virginem & Dei matrem exiſtere; mortuos omnes ad vitam excitandos eſſe: hominem ex aqua & ſpiritu ſancto regenerari: totum Chriſtum in Euchariſtia contineri, & id genus alia religionis noſtrę veneranda myſteria. 1

Spes eſt virtus diuinitus infuſa, per quam certa cum fiducia bona æternę fœlicitatis expectamus: vel iuxta Magiſtrum ſententiarum, Spes eſt certa expectatio ęternę ſalutis, ex gratia & meritis prouenienens: nam ſine meritis aliquid ſperare, non ſpes ſed pręſumptio dici poteſt. 2

Charitas eſt virtus diuinitus infuſa qua ſyncerè diligitur Deus propter ſe, & propter Deum proximus, iuxta duo eiuſdem charitatis præce-

pta sic in veteri nouaque lege proposita: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis: hoc est primum & maximum mandatum: Secundum verò simile huic; Diliges proximum tuum sicut teipsum: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.*

Indicium verò syncerae charitatis siue dilectionis probatio est exhibitio operis, & diuinorum mandatorum obseruatio ex 1. Ioannis 5. *Hæc est vera charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Hæ sunt tres virtutes quæ vocantur Theologicæ, quòd circa illas tota Theologia versetur.

4 Patientia est habitus cum quo patiens vincit & non vincitur: vel ex Cic. 2. de Inuent. *Patientia est honestatis aut vtilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpeßio.*

5 Pietas est habitus cum quo pius condolet de langoribus proximi sui: vel ex Cic. 2. de Inuent. *Pietas est per quam sanguine coniunctis patriæque beneuolis officium & dilig͂es tribuitur cultus.* Theologi sic definiunt. *Pietas est donum Spiritus sancti, quo imbuimur ardenti affectu ritè & syncerè colendi Deum, & benefaciendi proximo etiam de nobis malè merito propter Deum.*

6 Quæ sequuntur virtutes appellantur Cardinales, quòd quemadmodum fores cardinibus, sic illis omnis moralis vitæ honestas & sanctitas fulciatur. Sunt autem quatuor, nempe *Prudentia* quæ ad rationem. *Iustitia* quæ ad voluntatem

luntatem: *Temperantia* quæ ad appetitum concupiſcibilem: *Fortitudo* quæ ad iraſcibilem. Et quidem hæc diuiſio virtutis, eſt diuiſio generis in quatuor præcipuas ſpecies, ad quas cæteræ omnes vel tanquam inferiores ſpecies, vel earundem partes potentiales aut integrantes reuocantur.

Prudentia inter eas principem locum obtinet, tum quia reſidet in intellectu qui appetitu nobilior eſt, tum quia cæteras regit, vnde D. Gregor.lib.2.in Ezech.hom.22. docet alias virtutes nequaquam poſſe eſſe virtutes, niſi prudenter agant. Et Plato virtutes omnes ad Prudentiam reuocabat. Hæc autem definitur ab Ariſtotele lib.6.Eth.c.5. *Habitus agendi vera cum ratione circa ea quæ homini bona aut mala ſunt.* Bona inquam, vel mala in particulari, vt diſtinguatur à Philoſophia Morali, quæ verſatur circa bonum & malum in genere. 7

Iuſtitia definitur à Lullio in arte breui, *Habitus cum quo iuſtus iuſtè agit.* Ab aliis ſic: *Iuſtitia eſt virtus quæ ſuum cuique ius tribuit*, id eſt quod iuſtum & rectum. Vlpianus ff.de Iuſtitia & iure vberioribus verbis Iuſtitiæ naturam explicat: *Iuſtitia*, inquit, *eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi.*

Partes integrantes Iuſtitiæ ſunt duæ quæ munus eius explent, *Declinare à malo & facere bonum*, iuxta illud Pſal. *Declina à malo & fac bonum*: quo loco *bonum* idem eſt ac alteri debitum, malum vero idem quod alteri noxium.

Fortitudo definitur ab Ariſtotele 2. Eth. c.7.

Mediocritas circa metum & audaciam: hoc est virtus quæ in metu & audacia moderandis posita est, vnde sunt duo actus fortitudinis sustinere & aggredi.

Temperantia ex doctrina Aristotelis lib. 3.
10 Eth. c. 10. est mediocritas circa sensuum ac præsertim Tactus, gustusque voluptates.

PRÆLECTIO XIII.

De Vitiis.

1. *Causa vitiorum.* 2. *Diuisio eorundem.* 3. *Quid Superbia.* 4. *Auaritia.* 5. *Luxuria.* 6. *Inuidia.* 7. *Gula.* 8. *Ira.* 9. *Acedia.* 10. *Virtutes oppositæ prædictis vitiis.*

EAdem est contrariorum disciplina, idcirco ratio doctrinæ postulat vt quia de virtutibus cum Lullio diximus, de vitiis quoque disseramus.

1 Causa vitiorum non efficiens, sed potius deficiens, vt ita loquar, est liberum hominis arbitrium, quod quia finitum & creatum, ac proinde ex nihilo oriundum, idcirco nihili particeps, proindeque labile esse potest.

Licet autem sit vitiorum multiplex diuisio, vulgò tamen diuiduntur in septem peccata capitalia, in secunda figura prælectionis vndecimæ huius Classis proposita. Dicuntur autem Capitalia, quod sint omnium peccatorum scaturigines & capita, quibus addit Lullius inconstantiam & mendacium. De his nouem specia-

tim agere nostri est instituti, cum ea Raymundus consideret tanquam instrumenta moralia sub Instrumentatiuo vt prædiximus.

Itaque Superbia est inordinatus appetitus excellentiæ, siue intus lateat in animo, siue extrinsecus etiam sese prodat: hæc vitiorum omnium mater, princeps ac regina. 3

Auaritia est nimius & inordinatus habendi appetitus: vel vt ait Tullius, immoderatus amor habendi. 4

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereæ. 5

Inuidia est tristitia seu mœror de bono alterius & odium alienæ fœlicitatis respectu superiorum, quia eis non æquatur, & respectu inferiorum ne sibi æquentur, & respectu parium quia sibi æquantur, vt ait August. Dicitur autem Inuidia à non videndo, quia non potest videre bona aliorum. 6

Gula est cibi ac potus inordinatus appetitus, siue immoderata cibi auiditas: vel etiam vorax edacitas naturæ finibus non contenta. 7

Ira est immoderata cupiditas eius puniendi, à quo quis læsum se arbitratur. Ita autem dicta est, ab eo quod est ire. Nam à se it qui irascitur, & furit, vnde & qui iram deponit ad se redire dicitur. 8

Acedia est remissi animi languor immoderatus, & nimia desidia ad bene operandum. Dicitur autem Acedia à Græco ἀκηδία, id est tristitia, pigritia, aut tædium, quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili. 9


10 Et hæc de vitiis capitalibus quibus ſeptem virtutes capitales opponuntur,

Nempe
- Humilitas Superbiæ,
- Liberalitas Auaritiæ,
- Caſtitas Luxuriæ,
- Charitas Inuidiæ,
- Abſtinentia Gulæ,
- Patientia Iræ,
- Pietas Acediæ.

11 Inconſtantia eſt habitus cum quo inconſtans à ſeipſo deciſcit: vel eſt mutabilitas mentis qua nihil turpius.

12 Mendacium eſt habitus cum quo mendax fatur ſiue teſtatur contra rei veritatem.

Abſoluiſſe me cenſeo quicquid ad Inſtrumentatiuum, ordo me vocat ad quartam claſſem.



QVARTA CLASSIS.

De prædicatis abſolutis.

PRÆLECTIO I.

1. Prædicatorum abſolutorum acceptio. 2. Numerus. 3. Quot modis prædicentur. 4. Vnumquodque principium creatum eſſe cum alio accidentali innato. 5. Item vnumquodque plenum eſſe ſuiipſius, & partibus quæ ab aliis principiis aſſumit, & quomodo. 6. Hæc prædicata fieri etiam ſubiecta. 7. Figura. 8. Cur circularis. 9. Inuentio medij. 10. Scala Intellectus. *11. Omnia ad hæc principia reduci. 12. Terminos huius figuræ dupliciter conſiderari. 13. Circuli A diuiſio. 14. Termini propoſitionum. 15. Qualia ſint prædicata in ſingulis ſubiectis.*

HActenus de figura S. ſeu de ſubiectis vniuerſalibus, nunc de figura A. ſeu de prædicatis abſolutis agendum. Dico de abſolutis, quia ſunt alia prædicata reſpectiua ſiue relatiua quorum nota eſt litera T. vt in quinta claſſe manifeſtum fiet.

Accipiuntur autem hic prædicata abſoluta 1
pro quibuſdam terminis generalibus de omni re prædicabilibus vel ſimpliciter attribuendo, vel oſtendendo aliquod prędicatum ineſſe ſub-

iecto propter conuenientiam quæ erit cum his terminis.

2 Notandum verò quod quamuis prædicatorum infinita fermè multitudo reperiri possit in hac arte, Raymundus tamen ea redegit in certum numerum ac ordinem quæ vocauit prædi-
3 cata absoluta, seu principia generalia. Vultque non solùm accidentaliter, sed etiam substantialiter & causaliter, de aliqua re prædicari, prout aliqua res non solùm accidentaliter, sed etiam
4 substantialiter bona magnave dici potest. Vnde sciendum est omne principium generale & substantiale creatum esse cum alio accidentali innato quod est de suo genere: sicut bonitas accidentalis quæ est accidens bonitatis substantialis, & instrumentum cum quo illa bonificat
5 cætera, & ita vnumquodque principium est plenum suiipsius inquantum est substantiale, habens partes in semetipso essentiales & concretas de sua essentia, specie & natura.

Videlicet { TIVVM, BILE, ARE.

Vt cum dicitur verbi gratia


Bonum { Bonificatiuum, Bonificabile, Bonificare.

Vbi IVVM significat principium actiuum, siue effectiuum siue communicatiuum: ABILE principium passiuum, siue receptiuum seu participatiuum. ARE verò principium copulatiuum vel connexiuum siue actuale.

Eſt præterea plenum omnibus partibus quæ ſunt ſimilitudines quæ ab aliis principiis aſſumit cùm illud principium ſit ſubiectum: Illæ autem ſimilitudines ſunt accidentales quæ de partibus ſubſtantialibus procedunt. Dicitur 6
cùm illud principium ſit ſubiectum, quia iſta principia non ſolùm prædicantur, ſed etiàm ſibi inuicem ſubiiciuntur, ſiue in concreto, ſiue in abſtracto vt

Si dicamus { Bonam magnitudinem. vel
Magnam bonitatem:
Siue,
Magnum bonum.

Horum prædicatorum ſequitur figura.



8 Hæc autem figura circularis eſt, eò quod ſubiectum mutatur in prædicatum & prædicatum in ſubiectum vt

cùm dicitur { Bonitas eſt magna & Magnitudo eſt bona.

In ipſa inquirit Lulliſta naturalem coniun- 9
ctionem inter prædicatum & ſubiectum, vt ad faciendum concluſionem poſſit medium inuenire. Quodlibet enim principium per ſe ſumptum eſt omnino generale vt cùm dicitur *Bonitas eſt magnitudo*. Quod ſi vnum principium contrahatur ad aliud, tũc ipſum eſt ſubalternatum, vt cùm dicitur *Bonitas magna*: ſi verò contrahatur ad ſingulare, tunc eſt principium ſpecialiſſimum, vt cum dicitur *Bonitas Petri eſt magna*. Et ſic Intellectus habet ſcalam aſcendendi & deſcendendi à principio omnino generali ad non omnino generale, nec omnino ſpeciale: & à principio non omnino generali nec omnino ſpeciali ad omnino ſpeciale.

In principiis iſtius figuræ eſt implicatum 10
quicquid eſt. Nam quicquid eſt, aut eſt bonum, aut magnum &c. quare omnia reducuntur ad principia ſupra dicta.

Porro termini huius circuli dupliciter conſi- 11
derari poſſunt. Primò vt ſunt in prima cauſa ſeu primo ſubiecto per B. ſignificato in figura S. in quo termini omnes æquè ſunt conuertibiles, nunquam enim alterum alter poteſt excedere: tantò enim eſt bonus, quantò æternus: imò hæc omnia in Deo tum concretè tum abſtractè ſignificantia idem ſunt. Secundò vt ſunt in cæteris ſubiectis in quibus vnum poteſt alterum excedere vt clarum eſt.

13 Tandem hic circulus A. diuiditur generatim & ſpeciatim. Generatim, vt reliqui omnes habet nouem terminos, quorum indices ſunt litteræ B.C.&c. Speciatim autem reſoluitur in circumferentiam & planum. In plano eſt triangulus in quo reſident termini generaliores.

Nempe { Eſſentia,
Vnitas,
Perfectio.

14 In circumferentia ſunt prædicata abſoluta, *Bonitas, Magnitudo* &c. Ex quibus terminis cum Subiectis figuræ S. variè compoſitis fiunt propoſitiones.

Hic ergo docemur terminos Subiectorum & prædicatorum complecti, hoc eſt artificiosè & promptè in qualibet re meminiſſe quænam prædicata dici poſſint de Subiectis. Vbi notabis
15 talia eſſe prædicata, qualia eſſe permittuntur à ſubiectis, verbaque intelligenda ſecundum ſubiectam materiam. Bonitas igitur aliter prædicatur de Deo, aliter de Angelo, aliter de homine &c.

Et hæc de circulo generatim dicta ſufficiant, nunc ad ſingulorum terminorum declarationem accedamus.

PRAELECTIO II.

De Bonitate.

1. *Quid sit bonum*. 2. *Diuisio boni in genere*. 3. *Diuisio boni per participationem*. 4. *Quid sit malum*. 5. *Quomodo accipiendi termini artis*. 6. *Cognati termini & repugnantes*.

BOnum si ex sua formali ratione spectetur definiendum erit à priori, *Id quod cuique conueniens est*. Si verò expendatur secundum proprietates quæ ipsum consequuntur, quarum vna est appetibilitas, rectè à posteriori describetur, *Id quod ab omnibus est appetibile*: seu *Quod omnia appetunt*. Possèt etiam ratione aliarum proprietatum aliter describi, vt si dicatur *Id quod natura sui diffusiuum est*. 1

Bonum in genere diuidi potest 2

In { Bonum à seipso & Bonum ab alio. }

Illud dicitur Bonum per essentiam, qualis est solus Deus iuxta Dñi sententiam Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus*. Hoc verò dicitur bonum per participationem.

Rursus bonum per participationem diuidi potest 3

In { Bonum transcendens seu metaphysicum, Naturale seu physicum, Morale seu humanum. }

Bonum transcendens est quod cuique competit quatenus est, aut esse potest.

Naturale seu physicum est quod naturæ cuiusque rei competit, vt sunt naturales cuiusque rei facultates & potentiæ.

Morale denique seu humanum quod ab homine spōte ac liberè potest appeti, quod quidem ratione subiecti seu materiæ diuiditur in Bonum animi, vt est scientia: Corporis vt est sanitas: & fortunæ vt sunt diuitiæ: Ratione verò finis, In honestum, vtile, iucundum.

4 Quoniam oppositorum eadem est disciplina vt alibi diximus, inquirendum quoque quid sit malū. Dico itaq; esse priuationem alicuius boni peculiaris, peculiaris inquā, non transcēdētalis, quoniam ens vt ens non potest esse malum, sed in aliqua peculiari seu speciali ratione entis. Sic ens naturale malum dicetur, si aliquid ei desit ad ipsius integritatem requisitū. Ens artificiosum malum dicetur, si ab artis præceptis nonnihil deficiat: Malum morale si à rectæ rationis dictamine aberret.

5 Vnde colligis non esse accipiendos terminos artis simpliciter vti sonant, sed terminos cognatos simul atque repugnantes includendos, quos in medium afferemus in fine singularum prælectionum huius & sequentis figuræ. Sint ergo.

BONITATIS

Cognata,	*Repugnantia.*
Emanatio.	Malitia.
Communicatio.	Solitudo.
Diffusio.	Destructio.
Constructio.	Damnum.
Vtilitas.	Incommodum. &c.
Commoditas.	
Esse.	
Essentia.	
Actio. &c.	

Verbaliter ea sic etiam collige dicendo ;

Bonitatem { Bonificare, Communicare, Diffundere, Construere. Agere, Essendi vim tribuere.

PRAELECTIO III.

De magnitudine.

1. *Quid magnitudo.* 2. *Quotuplex.* 3. *Gradus maioritatis & minoritatis diuersi.* 4. *Cognota & repugnantia maioritatis.*

1 MAgnitudo eſt ens, ratione cuius Bonitas, Duratio, & cætera principia ſunt magna ambiens omnes extremitates eſſendi. Itaque nihil aliud eſt magnitudo quam extenſio Subſtantiæ, bonitatis, poteſtatis, &c. ſiue ſecundum ſubſtantiam, vtputa qua res magna eſt in ſe, ſiue ſecundum motum vel augmentum, vel operationem.

2 Eſt autem magnitudo

Triplex { Virtutis in ſpiritualibus; Molis ſiue materiæ, inquantum conſiderantur in corpore vel circa corpus: Actionum ſiue operationum.

3 Hinc eſt quod gradus maioritatis & minoritatis diuersè ſumuntur ſecundum magnitudinem in qua fundantur. Sic etiam intenſa vel remiſſa qualitate ſuper qua ſimilitudo fundatur, ſimilia ſunt ſibi ſimiliora, aut minus ſimilia.

MAGNITVDINIS

Cognata,

Extenſio.
Infinitas.
Sublimitas.
Totalitas.
Vniuerſalitas.
Summitas.
Amplitudo.
Multitudo.
Plenitudo.
Abundantia.
Sufficientia.
Diuitiæ.
Linea.
Superficies.
Soliditas.

Repugnantia.

Paruitas.
Minoritas.
Paucitas.
Paupertas.
Diminutio.
Vacuum.
Raritas.
Penuria.
Sterilitas. *Et ſimilia.*

Verbaliter vero dicitur magnitudo
- Magnificare.
- Amplificare.
- Extendere.
- Intendere.
- Multiplicare.
- Extollere.
- Sufficere.

Praelectio IV.

De duratione.

1. Quid duratio. 2. Quotuplex. 3. Cognata & repugnantia.

1 DVratio eſt ens ratione cuius bonitas, magnitudo & cætera principia & entia durant. Ipſa itaque eſt permanentia ſeu mora eſſentiæ bonitatis, magnitudinis &c. vel rei in ſuo eſſe. Eſt autem varia Duratio pro varia conditione rerum exiſtentium.

2 In genere quadruplex eſt.

Prima eſt Æternitas quæ ſine principio & fine eſt, nullamque ſucceſſionem aut mutationem ſignificat, & hæc ſoli Deo competit, quia nulla menſuratur duratione, cùm menſura menſurato ſit prior dignitate vel natura.

Secunda eſt æuum quod principium habens ſine fine ſolis Angelis & animæ rationali conuenit.

Tertia eſt tempus diſcretum ſeu angelicum, duratio ſcilicet plurium operationum angelicarum ſibi inuicem ſuccedentium, quod quidem tempus non eſt vnum per ſe, ſed per aggregationem multorum inſtantium ex quibus componitur. Inſtans vero temporis diſcreti eſt duratio propria vniuſcuiuſque operationis angelicæ immanentis, quæ duratio noſtro tempori coëxiſtit, habetque prius & poſterius ſuo modo, proindeq; minus propriè dicitur inſtás.

Inſtans

Inſtans verò noſtri temporis quod propriè dicitur tale, eſt duratio propria indiuiſibilium motus, quæ appellantur Mutata eſſe, quod quidem inſtans nulli parti temporis poteſt vnquam coëxiſtere.

Quarta eſt tempus ſucceſſiuum quod operationibus rerum naturalium ſucceſſiuis & continuis competit, definiturque ab Ariſtotele. *Numerus motus ſecundum prius & poſterius.*

DVRATIONIS

Cognata.	*Repugnantia.*
Incorruptibilitas.	Corruptio.
Immortalitas.	Mutatio.
Immutabilitas.	Priuatio.
Antiquitas.	Inconſtantia.
Firmitas.	Diſſolubilitas.
Semper.	Præteritum.
Conſtantia.	
Perſeuerantia.	

Verbaliter duratio dicitur { Confirmare, Conſeruare, Durare, Perſeuerare,

PRAELECTIO V.

De poteſtate.

1. *Quid poteſtas. 2. Quotuplex eſſe. 3. Latitudo poteſtatis. 4. De actu & potentia. 5. Cognata & Repugnantia.*

1 POteſtas eſt id per quod bonitas, magnitudo, & cætera principia ac entia reliqua poſſunt eſſe, exiſtere & ſubſiſtere.

2 Non fruſtra triplex eſſe aſſignamus: quia non minus res illæ quæ tantùm eſſentiam habent, & quibus ſimplex eſſe conuenit per poteſtatem ſunt, quàm illæ quæ exiſtunt vel ſubſiſtunt.

Illud autem exiſtere dicitur quod extra cauſam ſuam habet eſſe, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens. Illud verò ſubſiſtit quod eſt ſubſtantia & habet eſſe extra ſuam cauſam, vt ſunt omnia completa indiuidua in prædicamento ſubſtantiæ. Ex quibus patet Exiſtentiam latiorem eſſe
3 ipſa Subſiſtentia, quia Exiſtentia & accidentibus conuenit & ſubſtantiis: ſubſiſtentia verò ſolis ſubſtantiis.

Nec per poteſtatem tantùm res ſunt, ſed etiam per eandem operari poſſunt, ideo ſi aliquod ens operatur, hoc habet à poteſtate: ſi bonitas bonificat, magnitudo magnificat, & ita de aliis: hoc per poteſtatem obtinent. Suo modo entibus ab Intellectu formatis poteſtas non repugnat, quatenus ſunt & poſſunt aliquam habere operationem.

4 Vt autem poſſis rectiùs vti poteſtatis termi-

no, de Actu & potentia videtur nonnihil dicendum. Aduerte ergo ista tria distingui.

Nempe { Ens esse actu vel potentia,
Ens esse actum vel potentiam,
Ens esse in actu vel potentia.

Dicitur ens esse actu quod verè existit: Ens esse potentia quod nondum est, potest tamen aliquando esse.

Ens esse actum nihil aliud est quàm esse perfectionem siue complementum alterius. Esse potentiam, est aptum esse ad patiendum vel agendum: vt in corpore physico forma dicitur actus, materia verò appellatur potentia: & in composito metaphysicè spectato differentia dicitur actus, genus verò potentia. Denique id omne quod aduenit, complet, & perficit dicitur actus, quòd verò suscipit, completur, & perficitur, dicitur Potentia.

Ens esse in actu, est ipsum ens habere actum aliquem seu perfectionem: Esse verò in potentia est ipsum ens habere potentiam ad aliud actiuam vel passiuam.

POTESTATIS

Cognata.	*Repugnantia.*
Poſſibilitas.	Impoſſibilitas.
Eſſe.	Impotentia.
Exiſtere.	Otium.
Operari.	Debilitas.
Agere.	Seruitus.
Producere.	Sine Iuriſdictione.
Creare.	Infirmitas.
Dominari.	
Omnipotentia.	
Fortitudo.	
Vis.	
Violentia.	
Actus.	
Auctoritas.	
Iuriſdictio.	
Præceptum.	

PRÆLECTIO VI.

De cognitione vel Sapientia.

1. Quid Sapientia ſiue cognitio. 2. Quænam entia cognitionem habeant. 3. Quotuplex cognitio. 4. Cognata & repugnantia.

1 SApientia vel Cognitio eſt id per quod bonitas, Magnitudo, cæteraque principia & entia omnia cognoſcuntur.

2 Entia autem quæ verè cognoſcunt, ſunt

Tria { Deus,
Angelus,
Anima rationalis.

Si tamen de quacumque cognitione ſit ſermo, entibus omnibus aliquæ operationes non repugnant, quæ ſemper cognitionem aliquam præſupponunt, nec aliquod ens poteſt inueniri quod omni careat appetitu, cùm ſaltem finis appetitum habeat, & appetitus cognitionem præſupponat, ſicque multiplex erit Cognitio. 3

{ Naturalis,
Senſitiua,
Intellectualis,
Rationalis.

Naturalis eſt qua cognoſcit natura quid ſibi proprium conuenienſve ſit, neque enim in naturam ſuam res ferretur, vt grauia deorſum; aut in loco ſuo quieſceret, ſi nulla certa eſſet eius cognitio.

Senſitiua eſt quæ cognoſcit aliquo ſenſuum interiorum vel exteriorum circa ſuum obiectum verſante, & hac bruta cognoſcunt, vocamuſque in illis hanc cognitionem inſtinctum, vt eſt prouidentia formicæ, & ſtudium apum.

Intellectualis, qualis eſt in Angelis & in modo ſcientiæ infuſæ, & in prophetia fit ſimplici intuitu abſque diſcurſu.

Rationalis verò fit diſcurſu rationis, ſiue ſit ſapientia quæ eſt altiſſimarum rerum cognitio, ſiue ſit ſcientia quæ eſt habitus cognitionis per demonſtrationem acquiſitus: ſiue ſit Intellectus ſpeculatiuus qui ex ſpeculatiuis principiis,

procedit, siue practicus qui ex practicis: siue sit ars quæ est recta ratio agibilium: his enim omnibus modis consideratur Cognitio in hac arte, nec tantùm his modis, sed vt qualiscumque de aliquo suscepta notitia, siue secundùm veritatem, siue secundùm speciem, quamuis ea quæ secundùm speciem est, & errore contrahitur, non rectè cognitio dicatur, sed opinio vel suspicio.

Cognitionis siue Sapientiæ Cognata.

Prophetia.
Prænotio.
Instinctus siue diuina inspiratio.
Præscientia.
Opinio.
Sensus.
Fides.
Contemplatio.
Recolitio.
Interpretatio.
Prouidentia.
Prudentia.
Præsagium.
Scientia.
Industria.
Intelligentia.
Memoria.
Rationabilitas.
Coniectura.
Diuinatio.
Suspicio.

Verbaliter cognitio dicitur:
- Regere
- Cognoscere,
- Credere,
- Recolere,
- Intelligere,
- Inuestigare,
- Eligere,

Ad cognitionem referuntur omnes gradus quos vocant, quibus docti ornantur;
- Præceptoriatus,
- Baccalaureatus,
- Licentia seu Prolytatus,
- Magisterium,
- Doctoratus.

Repugnantia.

Ignorantia
Error
Obliuio
Dubitatio &c.

PRÆLECTIO VII.

De Appetitu.

1. *Quid Appetitus.* 2. *Quotuplex.* 3. *Circa quid versetur.* 4. *Cognata & repugnantia.*

APpetitus est id per quod bonitas, magnitudo, & cætera principia & entia sunt appetibilia & amabilia. Est itaque appetitus insita rebus cupiditas; qua vnaquæque res naturaliter & per se fertur in id quod sibi conuenit, & fugit aduersum. 1

Est autem Appetitus multiplex: Nam 2

Alius est
- Rationalis,
- Sensitiuus,
- Insensibilis.

Appetitum rationalem dicimus voluntatem. Est itaque voluntas appetitus cum ratione.

Sensitiuus est in animalibus brutis sine ratio-

ne, & in homine ſecundum inferiorem portio-
nem. Inſenſibilis eſt ille quo dicimus arbores &
3 plantas appetere Solem & pluuiam.

Quamuis autem appetitus naturæ ſuæ habitu verſetur circa amabile, ea tamen eius libertas eſt maximè in voluntario, vt poſſibile ſit hoc eſſe odibile quod eſt amabile & è contrà.

4 APPETITVS

Cognata.	*Repugnantia.*
Voluntas.	Odium
Amor.	Deſperatio &c.
Libertas.	
Liberum arbitrium.	
Audacia.	
Spes.	
Dilectio &c.	

Appetitus verbaliter { Appetit, Vult, Diligit, Sperat, Deliberat, Permittit.

PRÆLECTIO VIII.

De Virtute.

1. *Quid virtus.* 2. *Diſtinguitur à poteſtate.* 3. *Multiplex.* 4. *Cognata & Repugnantia.*

VIrtus quam hic intelligimus, eſt facultas innata ſiue infuſa rei, qua eliciuntur ope-

rationes conformes. Diſtinguitur autem à poteſtate operationum de qua ſuprà, quia poteſtas tantùm dicit non repugnantiam ad operandum, Virtus vero tollit repugnantiã & præterea connotat in operãte proprietatem quandam ſecundum quam conſimilis operatio producitur. Ipſa itaque eſt origo & principium operationum manens in ſubſtantia & fluens in operationes.

Hæc autem multiplex: nam

Alia eſt { Intellectualis, Theologica, Animalis, Naturalis, Cœleſtis.

Intellectualis eſt quæ non niſi intellectu adminiſtratur vt Sapientia, ſcientia, prudentia &c. Theologica eſt quæ non niſi deſuper venit, vt Fides, Spes, Charitas, & gratiæ quæ virtutes gignunt, ſiue ſint gratis datæ, ſiue gratum facientes, ſiue præuenientes, ſiue ſubſequentes, ſiue operantes, ſiue cooperantes.

Animalis eſt vel ſenſitiua, quæ ſcilicet ſenſibus operatur internis aut externis: vel motiua qua ſe mouet animal, cui coniungitur virtus Concupiſcibilis & Iraſcibilis: virtus quoq; vitalis qua viuit aliquid, & denique vegetatiua.

Naturalis virtus complectitur virtutes Elementorum & Elementatorum. Ipſa quoque natura virtus appellari poteſt

Cœleſtis ſuo complexu recipit influentias cęleſtes quæ occultę virtutes vocantur.

VIRTUTIS

Cognata,	*Repugnantia.*
Dignitas,	Vitium,
Nobilitas,	Ignauia,
Honeſtas,	Mollities,
Laus,	Defectus animi,
Decus,	Debilitas.
Honor,	
Donum.	

Verbaliter dicitur virtus { Operari, Illuſtrare &c.

PRÆLECTIO IX.

De Veritate.

1. *Quid Veritas.* 2. *Quotuplex.* 3. *Repugnantia.*

1 VEritas eſt id per quod bonitas, magnitudo, & cætera cùm principia tùm entia omnia verba ſunt.

Eſt autem veritas

2 Triplex { Propoſitionis, Rei, Æterna.

Veritas propoſitionis ſiue mentalis ſiue vocalis, eſt cùm prædicatum verè attribuitur ſuo ſubiecto, ex eo enim quod res eſt vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa: hinc deſcribitur

Veritas, adæquatio ſeu conformitas rei intellectæ ad Intellectum.

Veritas rei eſt vera conſeruatio naturæ in ſuo eſſe, vnde falſitas eſt in re quando ea quæ alicui rei iure conueniunt, in re ipſa non ſunt: Et hæc veritas conſideratur vel ſecundum actum ſiue vſum, vel ſecundum habitum: ſic homo furioſus ſecundum actum verè homo dici non poteſt, habitu verò homo verè dicitur.

Æterna veritas eſt ea quæ conuertitur cum Deo, quæque cauſat aliam veritatem creatam quæ non conuertitur, poteſtque deficere, & hæc eſt neceſſaria rebus vt agant naturaliter & artificiosè, & vt Deus in illis agat naturaliter. Idem de aliis principiis intelligas. Sunt deniq;

Veritatis repugnantia { Falſitas, Error, Mendacium, Simulatio. 3

Praelectio X.

De gloria.

1. *Quid Gloria.* 2. *Duo eſſe de ratione gloriæ.* 3. *Cognata & repugnantia.*

Gloria eſt ipſa delectatio in qua bonitas, 1
magnitudo & cætera principia ac entia reliqua quieſcunt. Ipſa itaque eſt quies rei in fine ſuo, aut ipſa per ſe conſummatio delectans, quæ in omnibus rebus reperitur quando in appetiti conſecutione res delectatur.

Ex quibus colligis duo esse de ratione Gloriæ,
2 scilicet quod quiescat, & delectationem præbeat; quorum alterum si remouebis gloriam non cognosces.

GLORIÆ

3

Cognata,	*Repugnantia.*
Gaudium,	Contrarietas,
Lætitia,	Inquietudo,
Pulchritudo,	Imperfectio,
Beatitudo,	Deformitas,
Libertas,	Infœlicitas,
Fœlicitas,	Damnatio,
Voluptas,	Pœna,
Fruitio,	Inopia,
Delectatio,	Tristitia.
Finis,	
Præmium.	

Gloria verbaliter,
- Perficit,
- Complet,
- In fine quiescere facit,
- Liberat,
- Beatificat,
- Saluat.

Praelectio XI.

De distinctione prædicatorum absolutorum ac ordine.

1. Prædicata essentialia. 2. Personalia. 3. Notionalia. 4. Quinque notiones à Theologis receptæ in diuinis. 5. Quatuor relationes. 6. Quatuor proprietates. 7. Tres notiones personas constituentes. 8. Quatuor actus notionales. 9. Prædicata essentialia. 10. Causalia. 11. Perficientia.

DE nouem prædicatis absolutis Raymundi, 1
satis dictum erit cùm distinctionem & ordinem eorum inter se ostenderimus.

Itaque ad Deum relata prima tria.

Nempe { Bonitas, Magnitudo, Duratio, }

essentialia sunt; quare de bonitate sic loquitur Athanasius in Symbolo; *Patris & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas*, hoc est vna eademq; summa bonitas. De magnitudine *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus*. De duratione tandem; *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus*. De tribus simul dicitur ab eodem, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus*.

Tria sequentia principia { Potestas, Cognitio, Appetitus, } 2

dicuntur personalia, quod personarum attribu-

ta diſtinguant. Quamuis enim omnia eſſentialia omnibus perſonis æqualiter conueniant, appropriatur tamen Patri potentia, cognitio ſeu ſapiẽtia Filio, Spiritui ſancto vnitatis æqualitatiſque concordia quia eſt amor amborum, id eſt patris & filii.

3 Vltima tria { Virtus, Veritas, Gloria,

dicuntur notionalia, quaſi notiones quaſdam importãtes. Notio autem in diuinis nihil aliud eſt quàm ratio dignoſcendi vnam perſonam ab alia.

In eiuſmodi autem notione deſiderantur duæ conditiones, altera vt ſignificetur nomine abſtracto: altera vt ſit aliquid pertinens ad originem, ſicque exprimatur vocabulo aliquo notionali, vel potius perſonali:

4 Huiuſmodi ſunt { Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio communis, Proceſſio:

quæ ſunt quinque notiones à Theologis receptę quæque nos ducunt ad perſonas dignoſcẽdas. Comprobatur iſte numerus inductione facta per modos quibus innoteſcunt perſonæ. Pater enim innoteſcit tripliciter: Primò ex eo quod à nullo eſt, vnde exiſtit innaſcibilitas: Secundò ex eo quod alius eſt ab eo per generationem, vnde exiſtit paternitas: Tertiò ex eo quod alius eſt ab eo per ſpirationem vnde exiſtit

communis Spiratio.

Similiter filius dupliciter innoteſcit: primò ex eo quod ipſe eſt ab alio per generationem, vnde filiatio: ſecundo ex eo quod ab ipſo eſt alius per ſpirationem, vnde etiam communis ſpiratio cum patre.

At verò ſpiritus ſanctus non innoteſcit per hoc quod alius ſit ab ipſo, ſed tantùm per hoc quod ipſe eſt ab alio, idq; per ſpirationem, vnde exiſtit propria ipſius proceſſio, ex quibus facile eſt colligere ſuprà dictas quinque notiones.

Ex his autem quinque notionibus quatuor ſunt

Relationes { Paternitas, Filiatio, Spiratio, Proceſſio: 5

Nam innaſcibilitas non eſt relatio niſi reductiuè.

Quatuor quoque proprietates perſonarum 6

Videlicet { Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Proceſſio ſpiritus ſancti:

nam communis ſpiratio non eſt proprietas vnius perſonæ.

Tres verò notiones perſonas conſtituẽtes, 7

Nempe { Paternitas. Filiatio, Proceſſio Spiritus ſancti:

nam innaſcibilitas & communis ſpiratio perſonas non conſtituunt.

Huc etiam ſpectant quatuor actus notio-
8 nales: nam ad paternitatem ſpectat generatio actiua: ad filiationẽ generatio paſſiua: ad communem ſpirationem productio actiua Spiritus ſancti: ad proceſſionẽ ſpiratio paſſiua eiuſdem Spiritus ſancti. Tandem hic obſeruandum per innaſcibilitatem quæ eſt proprietas primæ perſonæ, intelligi negationem, non natiuitatis tantùm, ſed proceſſionis cuiuſlibet.

His præmiſſis inquirendum qua ratione tria principia, *virtus*, *veritas* & *gloria* dici poſſint nationalia in diuinis, & quomodo diſcerni poſſit vna perſona ab alia. Quia itaque à Deo Patre per generationem Filius eſt, nõ obſcurè nomine virtutis intelligetur paternitas quo innoteſcet pater. Et quia filius ſe veritatem dicit Ioan. 14. quidni veritatis vocabulo filiatio, qua filius quoque innoteſcet? Denique cùm gloria ſit ipſa delectatio in qua entia quieſcunt, pater autem & filius diligant ſe amore eſſentiali qui appropriatur ſpiritui ſancto in quo amore ſumma delectatio & ſumma quies, conſtat termino gloriæ tanquam notionali poſſe ſpiritum ſanctum ſecerni ab aliis perſonis.

Hæc de diſtinctione & ordine Prædicatorum quatenus ad Deum referuntur: ſed ſi ad res creatas eadem referantur, Prima tria dicuntur eſſentialia, quod eſſentiam quodammodo ingrediantur, vel quod his eſſentia ſubſiſtat: tria ſequentia cauſalia appellantur, quia cum his & ex iis

ex iis causantur operationes extrinsecæ & intrinsecæ: Vltima tria ad perfectionem accommodantur, quoniam in ipsis est consummatio operationum. 11

Porro nouem istis principiis Raymundi tria alia principia generalia ad quæ prædicta nouem reducuntur, addere possumus quæ sunt

Essentia,
Vnitas,
Perfectio.

De quibus singulatim, sit ergo.

PRAELECTIO XII.

De Essentia.

1. *Quid essentia.* 2. *Plures sortitur appellationes.* 3. *Duplex.* 4. *Essentiæ ratio diuersa in diuersis.* 5. *Quid existentia & quibus conueniat.* 6. *Quid subsistentia, quid suppositum seu hypostasis, personalitas, persona.* 7. *Naturam non posse existere sine subsistentia.* 8. *Quid Inexistentia & Inhærentia.* 9. *Quid entitas.* 10. *Cognata & Repugnantia.*

1 ESsentia est id quod primùm in vnaquaque re concipi debet, cuique cætera omnia superaddi intelliguntur. Nam

Existentia,
Subsistentia,
Inhærentia,
Entitas,

Qui sunt modi rerum valdè intrinseci Essen-

2 tiæ accedere intelliguntur, quæ quidem Essentia plures sortitur præterea appellationes: Dicitur enim Natura, Quidditas, forma totius, Ratio formalis, id est essentialis cuiusque rei, estque in genere duplex, videlicet Simplex &
3 Composita. Simplex est expers multiplicis gradus aut entitatis, cùm sit purissimus & simplicissimus actus, cuiusmodi est sola essentia diuina.

Composita plures essentialis perfectionis gradus admittit, ex quibus veluti partibus componitur, quarum nonnullæ respectu aliarum dicuntur potentiales quæ sunt communiores, aliæ verò actuales quæ sunt specialiores: sic enim genera respectu differentiarum dicuntur partes potentiales, differentiæ verò partes actuales: imò vnus gradus genericus vniuersalior respectu alterius gradus generici specialioris dicetur pars potentialis, iste verò pars actualis; Id patet in homine in quo reperitur esse substantiæ, corporis, viuentis, sentientis & rationalis, ex quibus perfectionis essentialis gradibus totalis hominis essentia componitur, ita vt esse substantiæ sit pars potentialis respectu cæterorum, & esse corporis respectu esse viuentis.

4 Et quoniam vnumquodque essentiam habet provt rationem entis participat, nec eodem modo omnia rationem entis participent, hinc fit vt essentiæ ratio diuerso modo se habeat in diuersis rerum generibus. Nam in substantiis materialibus completis, entitas totius compositi ex vtraque ipsius parte materia videlicet &

forma coalescens, essentiæ rationem habet. In substantiis spiritualibus essentiæ ratio in sola simplici forma per se subsistente posita est, quia in Angelis nulla compositio reperitur ex materia & forma cùm sint incorporei: vbi nota essentiam Angeli dici simplicem formam comparatione rerum physicarum, non quod sit omnis compositionis expers, cùm constet genere & differentia ac diuersis perfectionum essentialium gradibus. Ratio autem essentiæ diuinæ consistit in forma simplicissima per se subsistente, omnis prorsus compositionis experte, etiam ens quod ex genere & differentia est, ac nullatenus differente ab existentia; In quo distinguitur ab essentia Angelica quæ componitur ex genere & differentia, quæque ex natura rei differt à sua ipsius existentia: Denique essentia accidentis est quidam modus substantiæ, omne enim accidens substantiam aliqua ratione modificat, estque accidens omne respectu substantiæ forma & actus quidam partim conueniens cum forma substantiali, partim ab eadem discrepans. Partim conueniens: vt enim forma non potest seiungi à materia in qua semel recepta est, sic accidens existere non potest à subiecto separatum: Et quemadmodum forma definitur in ordine ad suum subiectum, ita & accidens: Et sicut ex materia & forma esse substantiale constituitur, ita ex accidente & subiecto esse aliquod accidentarium.

Partim differens: primo quod subiectum formæ substantialis, nempe materia prima non

possit esse sine illa, aut alia loco illius succeden-
te: at subiectum potest omnino priuari sua for-
ma accidentaria, & si nulla suppleatur, vt cùm
aër priuatur lumine, quia nempe non desinit
esse ens completum absque illa: Secundò ex
materia & forma substantiali fit vnum per se,
quia se habent vt actus & potentia eiusdem ge-
neris, at ex forma accidentaria & subiecto non
item: Tertiò forma substantialis secundum se
est essentialiter incompleta, at verò forma acci-
dentaria est in sua ratione formali completa,
ideoque collocari potest in directa serie suæ
Categoriæ, forma substantialis non item.

Ex dictis liquet essentiam accidentis rectè à
nobis dictam modum quemdam substantiæ,
eam enim modificat existendo in illa; qui mo-
dus vocatur inhærentia in qua posita est forma-
lis ratio accidentis. Verùm cùm aliud sit acci-
dens actu inhærere, aliud verò posse inhærere,
hinc duplex inhærentia distinguitur, vna actua-
lis cùm actu inhæret accidens, altera aptitudi-
nalis, cùm accidens licet actu non inhæreat, po-
test tamen inhærere. Dicimus autem rationem
formalem seu essentiam accidentis non in
actuali, sed in aptitudinali inhærentia positam
esse, sicque licet accidens concipiatur separa-
tum à subiecto, non desinit propterea esse es-
sentialiter ac formaliter accidens, quia conci-
pitur semper aptum vt inhæreat subiecto, & sic
nihil repugnat Deum sua infinita potestate se-
parare accidens à subiecto, illudque separatum
conseruare, quod fide credimus accidere in au-

guſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento.

Sed quoniam vt prædiximus Eſſentiæ rei ſuperadduntur Exiſtentia, Subſiſtentia, Inhærentia & Entitas, de his quoque ſub hoc termino agendum.

Exiſtentia itaque eſt modus quidam eſſentiæ intrinſecus quo formaliter res dicitur eſſe actu, ſiue extra ſuas cauſas. Antequam enim res exiſtat dicitur poteſtate & quaſi latere in ſuis cauſis, tunc enim incipit exiſtere cùm virtute cauſarum prodit foras.

Exiſtentia autem conuenit Deo & rebus creatis, cum diſcrimine tamen. Namque Deus exiſtit non per exiſtentiam additam naturæ, ſed per ipſammet ſuam eſſentiam, ſicut quantitas dicitur extenſa per ſeipſam: res verò creatæ exiſtunt per exiſtentiam eſſentiæ additam: hinc fit vt eſſentiale ſit Deo exiſtere, adeò vt repugnet ipſum non exiſtere; non item rebus creatis quæ eſſe poſſunt & non eſſe, ideoque natura diuina non poteſt concipi niſi actu exiſtens: ſi enim conciperetur non actu exiſtens, aliquid perfectionis ei deeſſet, quod ab illius actuali infinitate penitus abhorret; at verò conceptus formalis ſeu eſſentialis creaturæ abſtrahit ab exiſtentia.

Dicendum quoque exiſtentiam competere ſubſtantiæ & accidenti etiam vario modo. Conuenit enim ſubſtantiæ primò & maximè propriè; accidenti autem ſecundariò & minùs propriè, nam accidens non niſi beneficio ſubſtantiæ cui adhæret naturaliter exiſtit.

Præterea Exiſtentia primò & per ſe competit ſingularibus & indiuiduis:ſecundò & per aliud ſeu ſecundum quid vniuerſalibus. Ea enim propriè exiſtunt, quæ primò & per ſe fiunt & producuntur, atqui ſingularia ſunt eiuſmodi, non autem vniuerſalia quæ non niſi in ſingularibus dicuntur exiſtere.

Denique exiſtentia primò & per ſe competit toti compoſito, ſecundariò & minus propriè partibus, id enim quod per ſe fit ſeu gignitur eſt totum compoſitum, quia ipſius eſt terminus per ſe generationis, partes autem inquantum ad integritatem totius pertinent.

6 Subſiſtentia propriè ſumpta eſt modus realis, quo natura conſtituitur ſuppoſitum ſeu hypoſtaſis, id eſt ſubſtantia ſingularis completa & incommunicabilis ſubſtantialiter.

Perſonalitas eſt ſubſiſtentia incommunicabilis, intelligenti naturæ competens: Perſona verò eſt rationale ſuppoſitum, vt in diuinis Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: In creatis verò hic Angelus, hic homo, &c.

Ex quibus intelligis neque accidentia, neque vniuerſales ſubſtantias, neque etiam partes, neque ſubſtantias communicabiles, vt eſt natura diuina communis tribus perſonis diuinis poſſe dici ſuppoſita.

7 Quæres hîc an natura poſſit exiſtere ſine ſubſiſtentia: Reſpondeo verò ſubſtantiam creatam indiuiduam & completam non poſſe exiſtere quin ſubſiſtat; ille enim modus exiſtendi neceſſariò debetur ſubſtantiæ completæ actu exi-

ſtenti, itavt repugnet concipere ſubſtantiam eiuſmodi actu exiſtentem, & non ſubſiſtentem. Cùm tamen natura ſingularis ſit natura 8
prior ſua ſubſiſtentia, hinc fieri poteſt virtute diuina, vt ſit ſine tali modo ſibi naturali, modo tamen altero ſuppoſito terminetur, vt contingit in myſterio Incarnationis, in quo natura humana proprio ſuppoſito diſtincta, alieno nempe diuino verbo ſubſiſtente terminatur; qui modus exiſtendi appellari poteſt non ſubſiſtentia, ſed inexiſtentia actualis diuerſa ab inhærentia accidentium, cùm per inhærentiam accidentia ſint in materia tanquam in ſubiecto illam informando accidentariò: at natura humana verbi gratia non eſt in verbo diuino tanquam in ſubiecto quod informet, ſed tanquam in termino à quo extrinſecè terminatur, vt non poſſit communicari alteri ſuppoſito: tum quod modus inhærendi in proprio ſubiecto accidenti eſt naturalis, modus verò inexiſtendi ſubſtantiæ ſupernaturalis: Denique quòd ille ſit accidentalis, iſte verò ſubſtantialis.

Entitas quæ dicitur quaſi entis quantitas, non 9
ſe tenet ex parte exiſtentiæ quemadmodum ſubſiſtentia, ſed ex parte eſſentiæ. Sicut autem eſſentia tam de accidente quàm de Subſtantia dicitur, ita etiam entitas: eſt enim idem realiter cum ipſa eſſentia, differt tamen ab ipſa formaliter, ſicut modus à modificato. Eſt igitur entitas formaliter ſumpta in rebus corporeis quibus maximè competit, modus quidam intrinſecus ſecundum quem ſunt diuiſibiles entitatiuè, vt

loquuntur, ſeu in partes quas vocant entitatiuas, & ſecundum hanc dicimus corpus denſum ſub pedali quantitate plures habere partes entitatiuas, quàm corpus rarum eiuſdem magnitudinis. Nec tantùm in ſubſtantiis, ſed etiam in accidentibus partes entitatiuæ reperiuntur, præſertim iis quæ ſuſcipiunt magis & minus: Nam plures gradus caloris, frigoris & cæterarum qualitatum quæ intendi poſſunt & remitti, ſunt ipſarum partes entitatiuæ. Porrò in rebus incorporeis ſeu ſpiritualibus illa ratio diuiſibilitatis ſecundum partes entitatiuas propriè locum non habet, vnde in illis non dicitur eſſe maior vel minor entitas ſecundum ſubſtantiam, ſed in ordine ad locum quem maiorem vel minorem occupare poſſunt. Nota tamen nonnunquam entitatem accipi pro cuiuſque rei natura ſeu eſſentia, ſiue in partes entitatiuas ſit diuiſibilis, ſiue non, ſicque ſubſtantia Angeli propriè dici poteſt entitas.

10 ## ESSENTIÆ

Cognata,	*Repugnantia.*
Eſſe,	Non eſſe,
Subſtantia,	Non ens,
Natura,	Negatio,
Forma,	Falſitas,
Informatio,	Mendacium.
Entitas,	
Ratio formalis,	
Quidditas.	

PRÆLECTIO XIII.

De vnitate.

1. Quid vnitas. 2. Quid vnum addat enti. 3. Quot genera vnitatum. 4. Cognata & repugnantia.

VNitas est secundum quam aliquid dicitur esse vnum: vnum autem addit enti negationem diuisionis à seipso, vnde sequitur vnum nihil aliud esse quàm ens non diuisum. Licet autem id quod dicitur vnum non modò sit indiuisum in se, sed etiam simul diuisum sit à quouis alio, in illo tamen præcipuè, non in isto consistit ratio vnitatis transcendentalis. 1 2

Constituuntur autem vulgò quinque genera vnitatum 3

Nempe { Transcendentalis. Categorica. Numerica. Formalis. Vniuersalis. }

Transcendentalis est ea quæ per se primò competit enti vt ens est, & cæteris rebus quatenus sunt entia.

Categorica est quam volunt esse propriam quantitatis discretæ, ita vt ex multiplici eiusmodi vnitate constet quantitas illa discreta seu numerus.

Numerica est quæ naturam inferioribus incommunicabilem efficit: seu quæ sequitur differentiam indiuidualem cuiuscumque naturæ,

licet natura illa numero vna possit esse communicabilis pluribus suppositis vt patet in natura diuina, quæ licet sit essentialiter vna, tribus tamen personis est communicata.

Vnitas formalis est illa quæ cuiusque rei formalem rationem consequitur.

Vniuersalis potest accipi duobus modis; primò quidem pro ea quæ naturam vniuersalem aptam inesse multis ante omnem operationem Intellectus denominat: Secundò pro vnitate quadam rationis quæ competit naturis per operationem Intellectus àbstractis ab inferioribus, per illam enim operationem dicuntur vniuersales vniuersalitate quadam rationis, vnde etiam vnitas rationis duntaxat illis sub ea consideratione competit.

VNITATIS

Cognata,	*Repugnantia.*
Simplicitas.	Multitudo.
Identitas.	Compositio.
Conuertibilitas,	Mixtio.
Paritas.	Diuisio.
Integritas.	Diuersitas.
Singularitas.	Debilitas.
Indiuidualitas.	
Fortitudo.	

4

PRAELECTIO XIV.


De Perfectione.

1. *Quid perfectum & perfectio.* 2. *Cognata & repugnantia.*

PErfectum si vim nominis spectes significat id cui nihil deest ad sui rationem: siue id cui adest entitas & perfectio. Itaque rem esse perfectam transcendentaliter est rem esse id quod esse debet in ratione entis: Perfectio ergo erit secundum quam aliqua res consummata est & suis terminis completa. 1

PERFECTIONIS

Cognata,	*Repugnantia.* 2
Finis.	Imperfectio.
Complementum.	Deformitas.
Pulchritudo.	Diminutio.
Status.	Defectus.
	Mutabilitas.
	Superfluitas.



QVINTA CLASSIS.

De prædicatis respectiuis.

PRÆLECTIO I.

1. Prædicata respectiua cur sic dicantur. 2. Quot sint genera respectuum. 3. Cur in angularem figuram & triangulos tres implicatos disponantur. 4. Vsus horum triangulorum.


1 QVintam classem ingredimur Deo propitio, in qua figuram T. hoc est prædicata respectiua examinabimus. Dicuntur autem respectiua siue relatiua aut habitudinalia, quia non dicuntur absolutè de aliqua re subiecta, sed comparationem inter res diuersas faciunt, vt si dicatur *Deus est bonus*, nulla comparatio est: si autem dicatur *Deus differt ab Angelo*, siue *ab Homine bonitate infinita & æternitate, comparatio est.*

2 Genera respectuum Raymundus in tres triãgulos partitur, quibus ferè omnes reliqui continentur.

Primus triangulus continet *Differentiam, Concordantiam* & *oppositionem* siue *contrarietatem.*

Secundus *Principium, medium* & *finem.*

Tertius *maioritatem, æqualitatem, minoritatem.*



In angularem figuram disponuntur, qua eorum per omnia penetratio significetur, singuli enim termini inter se quandam penetrationem habent.

Per triangulos disponunrur quatenus in omnibus relationibus & habitudinibus sunt duo relata & inter ea media relatio.

Tres sunt implicati termini, vt non solùm eorum in alia sed & mutua in inuicem penetratio inspiciatur: dicimus enim *bonitatem differentem* & *bonitatis differentiam*: Item *Differentiam principium habentis*, & *principij*: item *principium differentis* & *differentię*.

Penetrant igitur non solùm se, sed etiam omnia subiecta circuli S. & prædicata absoluta circuli A. siue explicita, siue implicita.

Sed quis vsus horum triangulorum? Vtimur
4 Concordantia in probanda propositione aliqua affirmatiua; in destruenda vtimur differentia vel oppositione. In negatiua, differentia est accommodata solutionibus, Concordantia ad probandum & medium inueniendum, Oppositio ad improbandum cui differentia inseruit.

Ex secundo triangulo colligimus alicuius rei necessitatem, causalitatem vel contingentiam.

Tertius triangulus parum vel nihil probat nisi ex locis sibi coniunctis, quare magis vtilis est ad amplificationem sermonis quàm ad probationem. Nunc de his sigillatim.

PRAELECTIO II.

De differentia.

1. *Quid differentia.* 2. *Quotuplex.* 3. *Genus quotuplex & quid.* 4. *Quid species & quotuplex* 5. *Differentia rationis.* 6. *Cognata & repugnantia.*

DIfferentia id eſt per quod bonitas, magnitudo &c. ſunt rationes claræ & non confuſæ: vel ſic, Differentia eſt qua alterum differt ab altero eſſentialiter, accidentaliter, aut realiter. Eſt ergo Differentia

Alia { Eſſentialis, Accidentalis, Realis.

Eſſentialis eſt quando res adinuicem comparatæ differunt in aliquo eſſentialiter, ſicut homo differt à lapide per animatum, & hæc differentia dicitur magis propria quæ duplex eſt, ſcilicet conſtitutiua ſpeciei & diuiſiua generis, ſicut rationale cum differentia ſibi oppoſita diuidit animal, & illi additum conſtituit ſpeciem, videlicet hominem & brutum. Sic quæcunque differunt per actum & obiectum differũt quoque eſſentialiter, ſicut voluntas & Intellectus.

Accidentalis differentia fit per accidens ſiue proprium ſiue commune vt riſibile, bipes.

Realis eſt principium generale quo res differunt per differentiam quam habent in ſe.

Et his tribus modis Differentia ſumitur ex primis intentionibus: Cùm autem ſumitur ex ſecundis intentionibus,

Alia differunt { Genere, Specie, Numero.

Genere differunt de quibus diuerſa genera non ſubalterna nec propinqua dicuntur: vt homo & pyrus, de quibus animal & arbor.

3 Dixi, *ſubalterna*, duplex enim eſt genus, aliud ſupremum, quod nullum aliud ſupra ſe agnoſcit, vt eſt Subſtantia, Quantitas &c. aliud ſubalternum quod ſub alio genere continetur, cuius reſpectu dicitur ſpecies: exempli cauſa, *Animal*, quod reſpectu hominis & belluæ genus eſt, comparatione viuentis quod plantam & animal continet, dicitur ſpecies; hîc vtrumque genus intelligimus, quo ſenſu, Generis duplex aſſignari ſolet definitio, Dialectica vna, Metaphyſica altera.

Genus dialecticè definitur, Quod prædicatur de multis ſpecie differentibus in quid.

Metaphyſicè vero definitur, Quod aptum eſt ineſſe multis ſpecie differentibus eſſentialiter & non per aliud.

In prima definitione dicitur primò *Prædicari de multis*, in quo differt genus à re quauis particulari. Secundo dicitur *prædicari de multis ſpecie differentibus*, in quo differt à ſpecie & proprio ſpecifico quæ non niſi de multis numero differentibus prædicantur. Tertio dicitur *prædicari in quid*, vt diſtinguatur à Differentia & accidente, &

te, & à quouis proprio etiam generico quæ prædicantur *in quale*. Iam verò quod in secunda dicitur *Genus aptum inesse multis specie differentibus*, differt etiam à specie. In eo quod *inest essentialiter* differt à proprio & accidente quæ non pertinent ad essentiam rei. Denique in eo quòd dicitur *inesse multis non per aliud* discernitur a differentia generica quæ licet apta sit inesse multis specie differentibus essentialiter, non tamen per se & immediatè, sed per aliud nempe mediante genere cuius dicitur esse differentia: per has etiam particulas excluduntur propria generica.

Specie differunt quæ sub diuersis speciebus sunt, vt sub homine & equo hic homo, & hic equus. Species autem est id quod generi subiicitur: vel species est id de quo genus prædicatur, quæ duæ definitiones speciei subalternæ & infimæ accommodantur. Sequens verò qua dicitur species esse id quod de multis numero differentibus prædicatur in quid, soli infimæ conuenit. 4

Ex quibus colligis speciem esse duplicem subalternam & infimam.

Subalterna (quæ dicitur etiam interiecta seu media) licet comparatione generis cui subiicitur sit species, tamen comparatione inferiorum de quibus prædicatur genus est.

Infima verò (quæ & specialissima nuncupatur) nunquam genus esse potest.

Illa immediatè de speciebus, hæc verò de indiuiduis prædicatur. Illa nonnisi partem naturæ, hæc verò totam indiuidui naturam conti-

net, vnde illa de indiuiduis tanquam genus, hæc verò tanquam vera species prædicatur.

Numero differunt quæ diuersum habent numerum, vt Socrates & Plato.

Quæcumque autem genere differunt, eadem & specie & numero differunt, sed non è conuerso.

5 Et quia hîc sub differentia intelligimus omnem distinctionem & diuersitatem non solùm rei, sed etiam rationis de ea quoque dicendum.

Differentia itaque rationis est intentionalis & phantastica quam intellectus facit, vt aliquid à seipso dicatur esse aliud, quod quamuis re seiungi non possit, ratione tamen seiungitur vt rationale & homo: non est autem eiusmodi differentia ens reale, nec principium generale, vt differentia inter finitum & infinitum, quia aliàs daretur medium quod esset, neque Deus, neque creatura.

DIFFERENTIÆ

Cognata,	Repugnantia.
Distinctio,	Confusio,
Pulchritudo,	Deformitas, &c.
Distributio,	
Diuisio,	
Pluralitas, &c.	

6

Verbaliter differentia { Distinguit, Ornat, Diuidit, Distribuit, Discernit, Separat.

PRÆLECTIO III.

De Concordantia.

1. *Vtilitas concordantiæ & differentiæ.* 2. *Quid concordantia.* 3. *Quotuplex.* 4. *Modus fabricandi infinitas identitates.* 5. *Quid sit Differentia, Proprium & Accidens vt vniuersalia.* 6. *Cognata & Repugnantia.*

EX his quæ de Differentia dicta sunt, non parum Concordantiæ natura euidens erit, cum ea sit oppositorum conditio, quòd vno cognito in alterius cognitionem deducat. Nec minorem vtilitatem Concordantiæ notitia affert, quàm Differentia; quia sicut per hanc verum à falso secernitur & obiectiones diluuntur; sic per illam intentum probatur & media ad argumentandum necessaria inueniuntur. 1

Concordantia igitur est id per quod bonitas, magnitudo, & cætera principia in arte posita, omniaque entia in vno, vel in pluribus concordant. 2

Concordantia autem hoc loco sumitur pro conuenientia quacumque cuius multos gradus assignabimus, vt ad libitum vnusquisque inter-

entia concentum consensumque aliquem reperiat. Igitur Concordantia seu conuenientia.

3 Alia est { Vnionis, Mixtionis, Compositionis, Continuitatis, Discretionis, Materiæ & formæ, Plurium in termino concurrente, Proportionis, Æqualitatis, Effectus, Similitudinis, Identitatis.

Concordantia vnionis est secundum aliquem modorum vnitatis, velut partium in quantitate, & vniuersalium in tempore.

Concordantia mixtionis est mixtorum in mixto. Mixtio autem si vera est, reperitur tantùm inter quatuor elementa, quatenus alterata, & vnà mixta vnum compositum constituunt, in quo illorum virtutes remanent: si verò est impropria (quæ mixtio per iuxtapositionem appellatur) inter elementata inuenitur & hac mixtione aqua & terra miscentur ad lutum constituendum.

Concordantia compositionis in illis locum habet, vbi vnum rationem habet actus, & aliud potentiæ. Hic obiter notabis vnionem latiorem esse mixtione & compositione, quia hæc sine illa esse non possunt, ipsa tamen sine his inuenitur, vt patet in natura humana verbo diui-

no hypoſtaticè vnita ſine mixtione & compoſitione.

Concordantia continuitatis eſt continuorum in continuo.

Concordantia diſcretionis eſt diſcretorum in toto diſcreto.

Sexta eſt concordantia materiæ & formæ in vno ſuppoſito.

Septima eſt plurium in termino concurrente, vt vir & mulier in filio.

Octaua eſt proportionis qua videlicet plura in vno tertio conueniunt ſuntque inter ſe æqualia; quod non eſt intelligendum de æqualitate quæ eſt quantitatis prædicamentalis proprium, ſed tranſcenditiſſimè ſumptæ, vnde dicimus inter bonitatem, magnitudinem & durationem eſſe proportionem, quia ſicut bonitas reſpicit eſſentiam, ita & magnitudo perfectionem eſſentiæ, & duratio exiſtentiam. Sed vt loquamur clariùs, quælibet concordantia vel conuenientia aliquorum ad vnum tertium proportio eſt.

Nona concordantia eſt æqualitatis, id eſt æqualium in eadem quantitate.

Decima eſt concordantia effectus, vt calidi & frigidi in induranda terra.

Vndecima eſt concordantia ſimilitudinis qua diuerſa inter ſe ſimilitudine aliqua concordant.

Duodecima eſt concordantia Identitatis.

Identitatum autem numerum infinitum ſi tibi comparare volueris, poteris hoc vti medio, 4
diſcurrendo videlicet.

Primò per quinque prædicabilia ſiue vniuerſalia quæ ſunt Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

Generis & Speciei definitiones vt vniuerſalium habes ex prælectione ſecunda huius claſſis, habe & reliquorum ad hunc vſum.

5 Differentia ergo eſt id quod aptum eſt ineſſe ſpeciei, ita ut ſit eius pars actualis, & per ſpeciem iis omnibus quæ ſub ſpecie continentur.

Proprium eſt, quod aptum eſt ineſſe per ſe & neceſſariò non eſſentialiter naturæ ſiue genericæ ſiue ſpecificæ, omnibuſque eius inferioribus: vel proprium eſt quod prædicatur de multis per ſe & neceſſariò non eſſentialiter.

Accidens eſt quod pluribus aptum eſt ineſſe, deque iis prædicari contingenter.

Secundò innumerabiles identitates tibi comparabis diſcurrendo per decem prædicamenta, de quibus in tertia claſſe.

Tertiò per octodecim principia figurarum A. & T. de quibus in quarta & hac quinta.

Quartò per nouem ſubiecta figuræ S. de quibus in ſecunda egimus.

Quintò per regulas vel quæſtiones figuræ Q. de quibus in ſexta agendum.

Et ad has Concordantias Concordantiæ omnes reducuntur.

CONCORDANTIÆ

Cognata,	*Repugnantia.* 6
Proximitas.	Discordia.
Similitudo.	Dissimilitudo.
Vnio.	Corruptio.
Identitas.	Destructio.
Conuertibilitas.	Inimicitia.
Collectio.	Iniuria.
Compositio.	Ἀντιπάθεια.
Comparatio.	Demolitio.
Amicitia.	Pugna.
Συμπάθεια	Priuatio.

Verbaliter Concordantia { Vnit. / Adsimilat. / Colligit. / Continet. / Conciliat, &c.

PRÆLECTIO IV.

De Oppositione.

1. Oppositionem non esse rem eandem cum differentia. 2. Quid sit Oppositio. 3. Quotuplex. 4. Species primi Trianguli ex Raymundo. 5. Cognata & Repugnantia.

NOn debes imaginari Oppositionem eandem esse rem cum differentia, quia diffe- 1

rentiam conſideramus vt per eam entia diſtincta & non confuſa remaneant: oppoſitionem autem, vt non ſolùm res diſtinguantur, ſed etiã inter ſe quandam pugnam habeant.

2 Oppoſitio itaque eſt quorundam mutua reſiſtentia propter diuerſos fines, quæque reperitur

3 Inter { Complexa & Incomplexa.

Cùm inter complexa, id eſt propoſitiones, quadruplex eſt. In propoſitionibus enim quæ concordant in ſimili ſubiecto & prædicato, fiunt quatuor oppoſitiones.

Scilicet { Contrariæ, Contradictoriæ, Subcontrariæ, Subalternæ.

Contrariè oppoſita ſunt vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua.

Contradictoriè oppoſita ſunt vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua: vel vniuerſalis negatiua & particularis affirmatiua.

Subalternæ ſunt vniuerſalis affirmatiua, & particularis affirmatiua: vel vniuerſalis negatiua & particularis negatiua.

Subcontrariæ ſunt particularis affirmatiua & particularis negatiua, vt patet in hac figura.

Cùm verò est inter complexa; est quoque quadruplex,

Nempe { Relatiua, Contraria, Priuatiua, Contradictoria.

Relatiua Oppositio est inter ea quæ mutuis ad inuicem relationibus referuntur: sic Pater Filio opponitur relatiuè & filius patri: simile quoque alteri simili; Quod genus Oppositionis leuius est quàm reliqua tria Oppositionum genera, neque enim relata pugnant inter se cùm potiùs se mutuò inferant.

Contraria Oppositio est propriè inter ea accidentia quæ cùm apta sint recipi in eodem subiecto, sese mutuò ab eo positiuè expellunt, qualis oppositio est inter primas qualitates nempe calorem & frigus, humiditatem & siccitatem, vnde etiam res quæ sunt his qualitatibus præditæ, dicuntur etiam contrariè opponi, licet minùs propriè.

Contrariorum autem alia sunt mediata vt album & nigrum: alia immediata vt virtus & vitium.

Priuatiua Oppositio cernitur inter priuationem & rem cuius est priuatio, vt inter cæcitatem & visum: atque etiam denominatiuè inter earum subiecta, vt inter cœcum & videntem. Priuatio autem optimè definiri potest negatio formæ naturalis in subiecto apto ad illam recipiendam. Ex qua definitione intelligis priuationem physicam formaliter non esse ens cùm sit entis negatio; neque adhuc esse negationem cuiuslibet entis, sed formę naturalis, non autem artificialis aut formæ supernaturalis: denique negationem illam spectandam esse in aliquo subiecto quod naturaliter aptum sit ad recipiẽdam eiusmodi formam, quo fit vt cæcitas non

dicatur esse in lapide aut arbore, ideo nemo dicat arborem aut lapidem esse cœcum sicut hominem dicimus aut aliud animal.

Oppositio contradictionis cernitur in simplicibus quorum alter alterius negationem exprimit, vt corpus & non corpus: Animal & non animal &c.

Est & alia oppositio quæ est localis vt duorum polorum in sphæra.

Et hæc de primo triangulo figuræ T. eiusque 4
diuersis speciebus, quãuis Raymundus tres tantùm species reperiri putet in singulis huius triãguli angulis.

Prima est inter sensuale & sensuale.

Secunda est inter sensuale & intellectuale.

Tertia inter intellectuale & intellectuale.

OPPOSITIONIS 5

Cognata.	*Repugnantia.*
Contrarietas.	Proportio.
Contradictio.	Paritas.
Repugnantia.	Similitudo.
Resistentia.	Cognatio.
Inimicitia.	Affinitas.
Negatio.	Æqualitas.
Priuatio.	Vnio.
Corruptio.	
Destructio.	

Verbaliter Oppositio { Opponit. Resistit. Repugnat. Contradicit. Aduersatur. }

PRÆLECTIO V.

De Principio.

1. Principium distingui à potestate & virtute. 2. Quid Principium. 3. Principij multiplex acceptio. 4. Cognata & Repugnantia.

1 POsset aliquis opinari hoc principium vniuersale nō esse distinctum à potestate& virtute, quod multùm tamen ab illis differt, quia principium relatio est quædam, potestas vero ac virtus absoluta sunt,

2 Principium itaque, vt inquit Lullius, est id quod se habet ad aliud in ratione alicuius prioritatis; & huius multiplex est acceptio.

3 Primò sumitur pro cuiusque rei aut actionis initio, quomodo dicimus in vnoquoque motu esse principium, medium & finem: quomodo item exigua portio à qua incipit cuiuslibet quantitatis extensio dici potest illius quantitatis initium, quod principii genus vocari potest, ordinale, quo aliquid est prius siue natura, siue tempore.

Secundò sumitur pro eo à quo res incipit non tanquam à sui parte, sed tanquam ab eo à quo pars ipsa prima incipit, quomodo dicitur punctum principium lineæ, & instans principium

temporis, vel etiam actionis quæ fit in tempore & fons principium filii, vnitas numeri, pater filii; quod principij genus vocatur originale.

Tertiò ſumitur pro vnoquoque ſuperiori ſecundum prædicationem, quod de eſſentia ſui inferioris eſt, vt pro genere reſpectu ſuarum ſpecierum, ſpecies ſuorum indiuiduorum & ſingularium de quibus in quid prædicatur, differentia etiam quodammodo ſuæ ſpeciei principium eſt, & hoc principii genus nominatur vniuerſale.

Quartò accipitur pro cauſa, itavt quicquid eſt rei cauſa, vocetur principium quod dicitur cauſale, eſtque primitiuum principium, quoniam ante cauſam nullum ens exiſtere poteſt, eſtque cauſa, id à quo aliquid per ſe pendet.

Cauſarum autem alia per ſe, alia per accidens. Cauſæ per ſe dicuntur aut intrinſecæ, aut extrinſecæ. Intrinſecæ ſunt materia & forma quæ ingrediuntur conſtitutionem rei. Extrinſecæ ſunt efficiens & finis quæ non ingrediuntur.

Cauſa materialis eſt principium eſſentiale quo eſt ſubſtantia ſecundariò, vt corpus in homine. Materia verò eſt id omne ex quo tanquam ex ſubiecto fit aliquid, quomodo ex auro fit ſtatua; ex lapidibus, cæmento, lignis, ferro & tegulis fit domus. Et hæc eſt aut propinqua vt lateres parietis; aut remota, vt lutum vnde fabricatus eſt paries, quæ diuiſio etiam in aliis cauſis accipitur.

Cauſa formalis eſt principium eſſentiale per quod ſubſtantia maximè conſiſtit in ſuo eſſe,

& in illo conſeruatur. Forma vero eſt per quod actio maximè conſiſtit, & extra eam nulla actio exiſtere poteſt, ipſa itaque dat eſſe rei, non vt efficiens, ſed vt id quo res eſt id quod eſt, & hęc aut eſſentialis vt forma informans materiam, ſicut anima rationalis per quam eſt homo: vel accidentalis, vt forma circa aliquid conſtans figura: vel exemplaris ſiue idealis, vt alicuius rei exempla.

Cauſa efficiens eſt principium quod facit rem aliquam vt agens naturale vel artificiale: ſiue principium vnde motus.

Cauſa finalis eſt principium cuius gratia aliquid fit. Finis autem eſt primus in intentione & vltimus in executione.

Cauſa per accidens eſt quæ ex ſe non importat neceſſitatem effectus ſubſequentis, vt ſunt occaſio, fortuna, caſus.

PRINCIPII

4

Cognata.	*Repugnantia.*
Cauſa.	Finis.
Origo.	Poſterius &c.
Productio.	
Influxus.	
Effluxus.	
Antecedens.	
Prioritas.	

Verbaliter principium	{	Creat. Producit. Causat. Efficit. Effluit. Disponit.

PRAELECTIO VI.

De Medio.

1. *Quid medium.* 2. *Species medij.* 3. *Cognata & Repugnantia.*

MEdium est ratio quâ extrema aliqua inter se modo aliquo sunt connexa. Dicitur modo aliquo, quia non requiritur vt medii coniunctio sit semper realis & actualis, sed quandoque intentionalis ac potentialis vel aptitudinalis. 1

Ponuntur à Lullio tres species medii 2

Nempe	{	Coniunctionis, Mensuræ, Extremitatum.

Medium coniunctionis est quod existit inter subiectum & prædicatum, vt cùm dicitur, homo est animal: inter hominem enim & animal sunt media, videlicet vita & corpus suum sine quibus non potest esse animal.

Medium mensurationis est quod existit per actum existentem inter agentem & agibilem, sicut amare inter amantem & amabilem.

Medium extremitatum est quod concluditur

inter duo extrema, ſicut linea quæ eſt inter duo puncta.

Sub his tribus mediorum modis quædam alia media ſumi poſſunt.

Primum eſt inſtrumentale, vt clauus coniungens duo ligna.

Secundum eſt participationis, quod inter duo extrema poſitum naturam trahit vtriuſque, vt colores medij inter album & nigrum.

Tertium eſt compræhenſionis, quod continet ea inter quæ ponitur vt genus inter duas differentias ſe diuidentes.

Quartum eſt medium negationis, vt eſt temperatum inter calidum & frigidum.

Quintum eſt tranſitionis per quod fit motus.

MEDII

Cognata.	*Repugnantia.*
Inſtrumentum.	Immediatum.
Centrum.	Principium.
Coniungens. &c.	Finis.

Verbaliter medium { Coniungit / Separat &c.

PRÆ-

PRAELECTIO VII.

De Fine.

1. *Quid finis.* 2. *Qui differat à gloria.* 3. *Species finis.* 4. *Cognata & repugnantia.*

FInis est ratio qua entia omnia terminantur vel finiuntur. 1
Differt autem finis à Gloria, quia Gloria pro fine absoluto consideratur: finis verò pro respectu gloriæ superaddito. 2

Finis tres proponit species Lullius. Prima est finis priuationis quiquidem significat habitum priuatum, vt mors quæ finit vitam: cæcitas quæ visum terminat, & surditas quæ auditum. 3

Secunda est finis terminationis in quo res vlterius non extenditur, & est extremum alicuius rei substantiæ vel accidentis, secundum essentiam vel tempus, vel locum, vel qualitatem, vel quantitatem, & huiusmodi siue ante, siue post, huicque opponitur infinitum.

Tertia est finis perfectionis, qui est finis vltimus, sicut homo qui est, vt multiplicet suam speciem & vt Deum intelligat, diligat, &c.

FINIS.

Cognata,	*Repugnantia.* 4
Perfectio,	Inquietudo,
Consummatio.	Principium,
Scopus.	Dimidium.

PRÆLECTIO VIII.

De Maioritate.

1. *Species maioritatis*. 2. *Cognata & Repugnantia*.

1 MAioritatis tres ſunt ſpecies ad quas aliæ reduci poſſunt.

Prima eſt inter ſubſtantiam ac ſubſtantiam quæ attenditur penes maiorem & minorem eſſentiæ perfectionem, & ſic homo eſt Aſino maior.

Secunda inter ſubſtantiam & accidens, vt inter hominem & eius quantitatem.

Tertia inter accidens & accidens.

MAIORITATIS.

2 *Cognata*,	*Repugnantia*.
Magnificentia,	Nihilum,
Auctoritas,	Inferius,
Maius,	Seruitium,
Superius, &c.	Minus.

PRAELECTIO IX.

De Æqualitate.

1. *Quid Aequalitas*. 2. *Species Aequalitatis*. 3. *Cognata & Repugnantia*.

1 ÆQualitas eſt ratio qua entia ſunt inter ſe æqualia, & inuenitur.

Primò inter ſubſtantiam & ſubſtantiam, 2
nempe inter indiuidua ſubſtantialia eiuſdem ſpeciei.

Secundò inter ſubſtantiam & accidens, ſicuti quantitas quæ extenſiuè tanta eſt quanta eſt corporea ſubſtantia ſub ea exiſtens.

Tertiò inter accidens & accidens, vt inter caliditatem in quarto gradu & frigiditatem tot graduum.

ÆQVALITATIS.

Cognata,	*Repugnantia.*
Similitudo,	Inæqualitas,
Conformitas,	Inconuertibilitas,
Conuertibilitas.	Diſſimile.

PRAELECTIO X.

De Minoritate.


1. *Tres minoritatis ſpecies.* 2. *Cognata & Repugnantia.*

TRes quoque ſunt minoritatis ſpecies. 1
Prima inter ſubſtantiam & ſubſtantiam.
Secunda inter ſubſtantiam & accidens.
Tertia inter accidens & accidens.

MINORITATIS.

Cognata,	*Repugnantia.*
Humilitas.	Infinitum.
Inferius.	Omnipotens.
Minus.	Perfectio.

2



SEXTA CLASSIS.

De quæſtionibus earumque regulis & Speciebus.


PRAELECTIO I.

De quæſtionibus generatim.

1. Quid ſit hîc quæſtio. 2. Quid regula. 3. Quæſtiones eſſe vaſa ad omnia intelligibilia. 4. Quæſtionum aliæ eſſentiales, aliæ accidentales. 5. Formæ quærendi decem, ſub quibus plures aliæ ſpecies continentur. 6. Scientiam hanc eſſe generalem ad omnes ſcientias.

IN hac claſſe de figura Q. hoc eſt de quæſtionum formis & reſponſionum regulis agen-
1 dum. Quæſtio autem hîc dicitur non dubitabilis propoſitio, ſed ipſum ſignum quæſitiuum, ſi-
2 ue ipſe terminus per quem quærimus. Regulam verò dicimus rectam rationem reſpondendi ad quæſtionem, per quorum notitiam ſic hominis intellectus dirigitur ac illuminatur, vt abſque vlla difficultate ad omnia quæſita reſpondere valeat ac in ignoti cuiuſcunque definitiuum conceptum deuenire poſſit, quia definiendi ratio ac modus ab his ſumitur, vnde regulæ dicuntur, quia hominis intellectum diri-
3 gũt, vt appoſitè definire poſſit, & idcirco Lullius haſce quæſtiones vocat vaſa ad omnia intelli-
4 gibilia. Quæ quidem quæſtiones inter ſe diſtin-

guntur. Nam primæ quatuor essentiales sunt, quia quærunt de ipsa re & essentialibus eius: reliquæ verò accidentales, quia quærunt de aliquo accidente rei: Neque tamen ita restringimus istas quæstiones, quin per essentiales accidentalia quærantur, & è conuerso. Formę autem eiusmodi quærendi sunt decem, vt in figura patet quæ notatur litera Q. in Præ- 5
lectione 4. primæ classis.



Hæ ſunt huius artis quæſtiones generales in quibus omnes aliæ quæſtiones implicantur. Nam ſicut omnia nomina declinabilia includuntur in quinque declinationibus: ſic ſuo modo aliæ quæſtiones in hiſce decem, & ad ipſas reducuntur ratione generalitatis quam habent, quod vt perſpicuum fiat, hîc aliam figuram Q. magis copioſam ſubiungemus.

6 Ex his agnoſcis ſcientiam hanc eſſe generalem ad omnes ſcientias cum ſuis principiis generalibus in quibus principia aliarum ſcientiarum particularium ſunt implicita & contenta ſicut particulare in vniuerſali. Sic omnes bonitates aliarum ſcientiarum ad vnam bonitatem generalem reducuntur. Idem iudicium eſto de cæteris principiis.

PRÆLECTIO II.


De Regulis reſponſionum generatim.


1. *Quid ſint reſponſionum regulæ.* 2. *Earundem quatuor regulæ generales.* 3. *Speciales.*


1 Regulæ reſponſionum ſunt eæ quæ vim & veritatem in reſponſionibus monſtrant vt appoſitè poſſis reſpondere. Sunt inquam inſtrumenta & veluti claues quibus aperiuntur occluſa, manifeſtantur occulta, corriguntur inuia, monſtrantur deuia.


2 Regulæ huiuſmodi ſunt generales vel ſpeciales. Generales ſunt quas operæ pretium eſt in ſingulis quæſtionum formis vbique & ſemper

Hęc figura Q. sequitu






B
C
D
E
F
G
H
I
K
Vtrum
Si est
Quid
Quis
De quo
A quo
Cuius
Quare
Propter quid
Quale
Quando
Vbi
Vnde
Quomodo
Cū quo
Per quid
Possibilitas
Entitas
Quidditas
Personalitas
Materialitas
Originalitas
Possessionalitas
Formalitas
Finalitas
Quantitas
Multitudo
Ordo
Multiplicitas
Distributio
Qualitas
Temporalitas
Localitas
Motus
Modalitas
Instrumentalitas
Medium
Q



considerare:& sunt quinque.

Prima est præcautio in cura & consideratione suiipsius quæ consistit in ardenti precatione & intenta meditatione ne animus peregrinetur, sed hoc agat.

Secunda est præcautio in cura personarum quærentium, quarum ratio habenda. Nam si sint graues, respondeatur paucis cum decenti decore: si pertinaces, pluribus verbis opus est: si simplices, simplici responso & ratione fiat satis: si doctæ ornamentum sumat oratio maximè locis ab auctoritate sumptis.

Tertia est præcautio in cura & consideratione quæstionis propositæ quæ versatur in his. 1. vt interrogantis concipiamus probè sensum & circunstantias. 2. Vt consideremus priùs si qua sit vocabuli ambiguitas, eamque demonstremus. 3. Vt quæstionum genera distinguamus, non confundamus: non enim appositè respondet qui rogatus, quare Christus sit mortuus, responsionem suam velit inchoare ab explicatione quid sit Christus, nisi tandem fiat applicatio & causa indicetur ob quam mortuus est. 4. Vt ad quamlibet quæstionem vel affirmando, vel negando, vel distinguendo, respondeamus. 5. Vt nihil concedamus donec audiuerimus conclusionem.

Quarta est vt habeatur ratio aliarum circunstantiarum. Nam si quod proponitur est satis cognitum, si per se notum, vt neque probatione indigeat, vel nec probari, nec demonstrari possit vt primum principium, si decisum, si va-

num, si parui momenti, si supra mentis humanę captum, sufficit simplici affirmatione vel negatione respondere. Insuper considera causas & occasiones, cur, & tempus in quo fit inquisitio: num aliquis ad experiendas vires ingenij quærat, vt tunc totis neruis qualis sis doceas; an verò tantùm tua desideretur sententia, tunc enim breuiter, sed appositè & cum ratione respondere melius opinor quæ sentis. Quod si dubia & vtrinque probabilis videatur res, vtramque propones sententiam: demùm quam eligas rationibus firmabis & contrariam refelles.

3 Speciales verò responsionum regulæ sunt, quę singulis quæstionum formis adduntur: quarum quælibet vno quodam ac certo vocabulo indicatur, vt clarum ex figura, & patebit ex dicẽdis.

PRÆLECTIO III.

De quæstione vtrum.

1. Quid quæratur per vtrum. 2. Poßibilitas regula respondendi ad hanc quæstionem & quomodo cognoscenda. 3. Quæstionis huius tres esse species. 4. Alia quæstio huic iuncta.

1 PEr vtrum quærimus primò *sitne illa res quæ proposita est, aut fiat, aut fuerit, aut futura sit.*

Secundò per eandem quæstionem quærimus vlteriùs de rationibus, speciebus & regulis omnium aliarum quæstionum. Nam si responsum est ad aliquam quæstionem, iterum inuestigamus per hanc quęstionem *sitne rectè responsum*, vt si quæratur quid est homo? quo dicto iterum emergit ista quæstio, sitne homo id quod dictum est, & similiter in aliis quæstionibus.

Regula reſpondendi ad hanc quæſtionem eſt *poßibilitas*, quæ monet vt reſpondendo conſideremus num affirmatio, an verò negatio ſit poſſibilis. 2

Quomodo autem illa poſſibilitas ſit cognoſcenda, diſces è ſex regulis quarum

Prima eſt, Id affirmandum eſſe quod magis conſentaneum eſt, donec cõtrarium probetur, vel nos ipſi contrarium intelligamus.

Ne igitur concedamus illud eſſe verum quod ſenſui vel intellectui repugnat exceptis articulis fidei; qui quidem non ſunt contra, ſed ſupra rationem.

Secunda: Quotieſcumque ad affirmationem alicuius ſequitur deſtructio principiorum & definitionum, negatiua eſt tenenda & contra. Exempli gratia ſi quiſpiã quærat, *An Deus ſit*, ad negationem ſequitur principiorũ ſequentium deſtructio videlicet, *Nihil poſſe eſſe causã ſuiipſius*, & *Naturam abhorrere à progreſſu in infinitum*: quia ſi Deus non eſt, mundus aut nullam habet ſui cauſam, aut ſua ſibi eſt cauſa, ſed vtrumque eſt abſurdum. Sic ſi fiat alia quæſtio ſtatim deducenda per principia tam abſoluta quàm reſpectiua neceſſumque eſt id concedere, quod magis bonitati, magnitudini, differentiæ, concordantiæ & cæteris principijs conſonat.

Tertia, Id non eſt concedendum cuius vel nulla vel infirma à nobis aliiſve allata eſt demonſtratio.

Quarta non ſemper ſimpliciter affirmando vel negando, ſed etiam perſæpe dubitando de-

bemus respondere: nam rectè dubitare est initium sapientiæ vt ait Aristoteles 3. Metap. c. 1.

Quinta: Disputatores conuenire debent in certis principiis. Ineptus ergo est & ridiculus qui cum Iudæo disputans affert nouum testamentum. Negans autem principia non est audiendus, quod in primis est verum de primo & generalissimo illo principio; *Impossibile est idem esse & non esse*. Nam hoc posito aliquid erit nihil & contra, ideoque tota rerum natura euertetur.

3 Habet autem hæc quæstio apud Raymũdum tres species *Affirmationem, negationem, dubitationem*, quibus addere possumus *Possibile, Contin-*
4 *gens, necesse, impossibile*. Denique huic quæstioni Vtrum iungitur quæstio *si est* cuius regula est *Entitas*.

PRAELECTIO IV.

De quæstione Quid.

1. Hac quæstione definitio inquiritur. 2. Regula responsionis. 3. Definitionis partes. 4. Quid sit genus & eius inuentio. 5. Modus inueniendi differentiam quadruplex. 6. Species quæstionis huius, nempe Quid.

1 HAbita cognitione quod res sit, rectè interrogatur *Quid sit*. Hæc quæstio est instru-
2 mentum quo definitio inquiritur, ideo regula responsionis vocatur Quidditas, vel definitio, qua videlicet explicatur quid res sit; siue qua Quidditas id est essentia subiecti exprimitur.

Definitionis verò partes ſunt duæ, Genus & 3
Differentia. Genus eſt ſymbolum materiæ, Differentia formæ, & hæc eſt diuiſiua reſpectu ge- 4
neris ſuperioris, & conſtitutiua reſpectu ſpeciei inferioris. Hic opus eſt vtriuſque partis cognitione.

Genus eſt pars definitionis quæ partem ſubiecti communem deſignat: ſiue, Genus eſt terminus communis pluribus explicans cauſam propter quam ſubiectum eſt ens, vt in hac propoſitione *Angelus eſt ſpiritus*: hîc *Spiritus* eſt cauſa ob quam Angelus eſt ens, ſiue aliquid. Inuentio verò generis pendet ex conuerſione Circulorum qua conuerſione quæritur ad quẽ terminũ pertineat ſubiectum qua de re ſequuntur regulæ.

Prima: Ille terminus ſub quo ſubiectum collocatur eſt genus vel ſpecies; genus quidem ſi ſit tantùm pars eſſentiæ communis pluribus; ſpecies verò ſi ſit tota eſſentia. Exempli gratia Ariſtoteles pertinet ad terminum E. circuli S. eam ob rem dico *Ariſtoteles eſt homo*. Sic Chriſtus pertinet partim ad terminum B. circuli S. quare dico Chriſtus eſt Deus: partim ad eiuſdem circuli terminum E. quamobrem dico *Chriſtus eſt homo*: & ſub vtriuſque termini conſideratione dicitur Chriſtus θεάνθρωπος ſiue ἀνθρωπόθεος id Deus & homo.

Secunda, Termini ſubiectorum vniuerſalium ſunt diſtribuendi per ſpecies, & diuidendi per partes & inuenies proximum genus. Verbi gratia, actio animæ alia eſt Intellectus, alia volun-

tatis: ſub illa continetur cognitio; dico igitur cognitionem eſſe actionem Intellectus, vel animæ intelligentis.

Tertia: Terminos prædicatorum ſæpe vſurpamus loco generum: Sit verbi gratia Intellectus hominis definiendus, poteſt definiri ex varijs terminis circuli A. primò ex termino B. ſic: Intellectus eſt bonitas naturæ humanæ. Secundò ex termino E. eſt facultas animæ rationalis. Tertiò, ex termino K. eſt gloria & perfectio imaginis Dei in homine. Ex varijs quoque circuli T. vt ex termino B. Intellectus eſt quo differt homo eſſentialiter à brutis: & ex termino E. Eſt principium cognitionis &c.

Quarta: ſæpè epitheta circulorum ſeu termini communes in quos circuli diuidũtur, ſumuntur loco generum: verbi gratia ſi definienda ſit quantitas, dico eſſe accidens, quia ſcilicet eſt in circulo accidentium. Sic Deus eſt ſubſtantia, quia in circulo S. id eſt ſubiectorum ſiue ſubſtantiarum, continetur.

Quinta: E circulo Q. eodem artificio genera depromi poſſunt. Ex terminis tandem circuli T. cuiuſlibet rei genus effertur, ob eam rem vocantur hi termini prædicata tranſcendentia, pro quo hæc vna duntaxat regula tenenda.

Si ſubiectum definiendum eſt, aliquis horum terminorum erit genus, vt *manus eſt principium qua homo contrectat: homo eſt principiatum ſeu opus Dei*: Omnipotentia eſt differentia qua Deus *diſtinguitur à rebus creatis*: ſiue, *Eſt maioritas Dei: eſt Principium operandi in Deo &c.*

Sic cognoſcenda & inuenienda prima definitionis pars nempe genus: habe iam modum cognoſcendi & inueniendi differentiam quæ eſt pars definitionis eiuſque perfectio, facit enim vt res ſit hoc aliquid, & tale ens, conſtituitque rem in certo entitatis gradu.

Inuenitur itaque differentia tribus quæſtionibus veluti principijs,

Nempe { Cuius, Quale, Quare.

Quæſtione *Cuius* inquiritur vel poſſeſſor vel res poſſeſſa. Poſſeſſoris vocabulo intelligimus id omne cui poteſt attribui verbum habere, vt ſunt relata & relatè conſiderata: ſic Subiectum habet accidens. Res poſſeſſa verò eſt quæ habetur vel ineſt: ſic pars habetur à toto. Iam igitur ſi definiendus ſit Dominus, dicetur is eſſe qui ſeruum habet: ſi Magiſtratus, dicetur is qui ſubditos: ſi Qualitas, dicetur eſſe accidẽs ſui ſubiecti, per quam eſt hoc vel illo modo diſpoſitum & affectum.

Inuentio autem tam poſſeſſoris quam rei poſſeſſæ, eſt diſcurſus & conuerſio circulorum & in ijſdem terminorum conſideratio quæ fit hoc modo.

Primò expendatur ad quem circulum referatur id de quo mouetur quæſtio *Cuius*. Nam eo inuento, terminus ſub quo illud cõtinetur, vel alius quiſpiam ſuperior illo vel inferior, erit poſſeſſor vel res poſſeſſa.

Secundo: ſi in circulo ſubiectorum quæſtio

Cuius non sit comprehensa reliqui consulendi sunt circuli. Exempli gratia, in regula tertia de inuentione generis definiendo Intellectum diximus esse facultatem: hæc definitio imperfecta est, abest enim differentia; differentiam vt inueniam, quæro cuius rei sit facultas, id est possessorem, primò quidem in circulo proprio subiectorum, & inuenio E. sub quo intellectus continetur, dico igitur: *Intellectus est facultas hominis* & sic differt ab Intellectu Dei & Angeli: Rursum quæro cuius partis sit facultas, & hic necesse est fieri partitionem, & in partibus adhiberi iudicium, vt rectè perspicias vtra possessoris titulo sit digna: partes verò hominis sunt corpus & anima, de corpore illa dici non potest, dico igitur Intellectum esse facultatem animæ rationalis: sed & voluntas est facultas animæ, ideoque vltima differentia est addenda sic, Intellectus est facultas animæ cognoscitiua, voluntas electiua.

Quæstione (Qualis) inuentio differentiæ perfacilis est, mutatis enim substantiuis nominibus in adiectiua, termini differentiarũ in promptu sunt. Substantiua autem sunt omnia quæ in singulis circulis excepto postremo Q. recondita sunt, ideoque hic quoque discursus circulorum est necessarius, exempli gratia suprà dictum est Intellectum hominis esse facultatem, iam quæro, qualis sit facultas: respondeo ex circuli S. b, c, d, e, f, diuina, angelica & spiritualis, cœlestis, rationalis, imaginatiua. Item ex circuli A. b, c, d, e, f, g, bona, finita vel infinita, perpetua, actualis, cognoscitiua &c. Idem fit discur-

rendo per ſingulos terminos circuli T.

Quæſtione (quare) inuenitur differentia quærendo primùm de ſubiecto, non quare ens ſit, ſed quare peculiari iſto nomine appelletur.

Obſeruabis denique non ineptè genera & differentias rerum peti è ſerie prædicamentorum. Si igitur hominem definire velis, tuum eſt obſeruare in quonã ſit prædicamento vt exinde mutueris genus & differentiam. Et hæc de inuentione generis & differentiæ partibus definitionis quæ inquiritur quæſtione (quid.)

Huius autem queſtionis, Quid, quatuor ſunt ſpecies apud Raymundum 6

Nempe
- Quid eſt in ſe,
- Quid eſt in alio,
- Quid habet in ſe,
- Quid habet in alio.

Ad (quideſt in ſe) reſpondetur eſſentia & eſſe: ſeu quicquid per eſſentialem definitionem denotatur, nec ſolùm per eſſentialẽ definitionem ſed etiam quamuis aliam quæ notificat rem, quare ſub illa comprehenditur, quid, explicans nomen rei, ſiue per interpretationem, ſiue per vocabuli ſignificationẽ, ſiue per tranſlationem, vt ſiquis ſenectutem vocet occaſum vitæ, ſiue per allegoriam, ſiue metaphorã, vel paraphraſim quæ omnia in definitionẽ venire poſſunt.

Ad (quid eſt in alio) reſpõdetur per quidditatẽ reſpectiuam, vt ſi eſt forma ſubſtantialis vel accidentalis in materia, pars in toto, totum in ſuis partibus, inferius ſecundum prædicationem in ſuo ſuperiori, vel potentia in virtute, locatum

in loco, cauſa in effectu & contrà, principiatum in ſuo principio & huiuſmodi.

Ad (Quid habet in ſe,) qua ſcilicet quæſtione quæritur de re aliqua quid habeat in ſe naturaliter ac eſſentialiter, reſpondendum eſt per ea ſine quibus res eſſe non poteſt, vt per IVVM, ARE, & BILE, & ſic bonitas & alia principia habent plura coëſſentialia vel connaturalia: qui modus definiendi eſt valdè tutus cùm per intima rei aſſignetur, valetque ad conſtruendas demonſtrationes neceſſarias. Intellige autem per IVVM, ARE, & BILE non quatenus aliquod particulare reſpiciunt, quia hoc eſt per accidens, ſed vt hęc tria indifferenter ſe habent ad omnia & hoc eſſentiale eſt.

Nec tantùm per quæſtionem (*Quid habeat res in ſe*) quæritur quid res habeat in ſe naturaliter ac eſſentialiter, ſed pluribus aliis modis: entia enim dicuntur in ſe habere aliquid

Vel
- Eminenter,
- Virtualiter in eſſe reali,
- Virtualiter in eſſe cognito,
- Potentialiter,
- Actualiter,
- Identicè,
- Vnitiuè,
- Immenſiuè,
- Per dominium,
- Per influxum,
- Per mixtionem,
- Per modū loci tā cōmunis quā proprii,
- Per modum perficientis ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidentaliter.

Ad

Ad quæstionem (Quid habeat in alio) respondendum est per ea quæ actionem vel passionem significant, vt Intellectus est in obiecto illud intelligendo: est in specie intelligibili quia eam recipiendo patitur. Deus est in creaturis omnibus per sapientiam, potentiam & essentiam: creata verò reperiuntur in eo, quia conseruantur & diriguntur. En exemplum harum quatuor specierum.

Quid est homo in se? Substantia animata rationalis.

Quid est homo in alio? In Italia Italus; In sapientia sapiens, In loco locatus.

Quid habet homo in se? humanitatem, Intellectum, voluntatem, sensum, &c.

Quid habet homo in alio? In demonstrabilibus scientiam, in sensibilibus sensum & phantasiam, in possessis dominium, in Deo spem.

Præter has quatuor species quæstionis, Quid, est aliud quid personale quod, Quis, dici potest quærens de persona, siue supposito, vt, quis creauit mundum? quo vtimur tam in recto quàm in obliquo per quemdam modum ad rectum reducibilem, vt *Quis te accusat?* vel, *Per quē accusaris?* seu, *A quo accusaris?* huius autem quæstionis, *Quis*, regula est personalitas.

PRÆLECTIO V.
De quæstione De quo.

1. *Tres huius quæstionis species.*

TErtium quæstionis genus est *De quo*, cuius tres sunt species in Lullio.

Prima est *De quo* originaliter siue primitiuo, quod dici potest *A quo*, cuius regula est deriuatio siue Originalitas: Ad quam quæstionem respondetur tripliciter,

Aut { Non ab aliquo, nec de aliquo vt Deus.
Ab aliquo & non de aliquo vt Angelus & omnis forma primitiua.
Ab aliquo & de aliquo vt corporalia.

Secunda est (De quo) materialiter cuius regula est materialitas, vt si quæratur De quo factus est homo? & respondetur de limo terræ.

Tertia est (De quo) possessiuo quæ quærit possessionem, dominium, respectum, relationem, cuius regula responsiua ex omni ratione respectuum sumitur, quæ quæstio potest notari per signum *Cuius*, vt si dicatur *Cuius est pater? Cuius est bonitas?* & huiusmodi.

PRAELECTIO VI.

De quæstione Quare.

1. Quæstio Quare sequitur prædictas omnes quæstiones. 2. Praxis regulæ huius quæstionis. 3. Hæc quæstio clauis est scientiæ.

1 QVæstio *Quare* ordinaté sequitur prædictas omnes, post ipsas enim quærimus *Quare est? Quare est hoc? Quare est de hoc? Quare est huius?*

2 Regula autem quæ rationem respondendi ad hanc quæstionem decernit est *Causalitas* quæ ex causis rem explicandam ostendit. Praxis huius regulæ exemplo plana fiet. Esto igitur hæc quæ-

ſtio *Quare Chriſtus ſit & dicatur paſtor?* reſpondetur

Primò per cauſam efficientem huius paſtoratus quæ eſt Dei præordinatio, ordinatio, vnctio ad hoc genus muneris.

Secundò per cauſam impellentem & antecedentem quæ eſt beneplacitum & libera voluntas Dei.

Tertiò per cauſam materialem eamque triplicem.

Prima reſponſio ſumitur ex materia ex qua paſtoratus ille conſiſtit, nempe gubernatione, nutritione & defenſione, quia ſcilicet gubernat, nutrit & deffendit nos. Secunda ſumetur ex materia in qua quæ debet eſſe ſubiectum huius paſtoratus omnium fortiſſimum, prudentiſſimum, humaniſſimum, nemo autem robuſtior Chriſto, prudentior, humanior. Tertia reſponſio ſumetur ex materia circa quam obiecta huius paſtoratus ſunt, nempe à dextris lupi, à ſiniſtris mercenarij: contra illos Chriſtus oues ſuas tuetur, contra hos conſolatur.

Quartò reſpondetur per cauſam formalem, quia nutrit pabulo ſpirituali carnis ſuæ, regit verbo & ſpiritu.

Quintò reſpondetur per cauſam finalem nempe vt cognoſcatur & celebretur Chriſtus, Ezech. 34. *Et ſcient quia ego Dominus:* vt conſeruentur oues & ſint ſine metu, &c.

Et quia verum eſſe omnes intelligunt illud Ariſtotelis, *Scire, eſſe rem per cauſam cognoſcere*, ſtatuendum eſt hanc quæſtionem eſſe clauem qua fores ſcientiæ aperiuntur. 3

PRÆLECTIO VII.

De quæstione Quantum.

1. *Latitudo huius quęstionis.* 2. *Eiusdem species.* 3. *Quantitas triplex.*

1 QVinta quæstio est *quantum* quæ quærit de quantitate absoluta vel comparatiua, continua vel discreta, cuius regula generalis est, quantitas, non solùm rei, sed ita generaliter accepta, vt quamlibet comprehendere valeat formalitatem vti finitum, & infinitum. Exempli gratia, quantus est Christus? Infinitus secundum deitatem. quanta est fides Christianorum? Est magna vt in muliere Cananæa.

2 Et per hanc quæstionem quantitatis variè quærimus secundùm varietatem specierum quantitatis. Nam quærit

Primò de magnitudine secundum longum, latum & profundum, & tunc quæstio fit per quantum cuius regula est *quantitas*.

Secundò quærit de loco, aut tempore, aut multitudine, & fit per signum *Quot*, cuius regula est *Quotitas*, & hoc diuerso modo, nempe aut secundum ordinem, vt cum Quotus sit quęrimus: aut secundùm multiplicationem vt cùm *quotuplex* sit quærimus: aut secundum distributionem, vt cùm quærimus, Quoties? Cæterùm quantitas est triplex *Essentię*, *Molis*, *Virtutis*.

PRÆLECTIO VIII.

De quæſtione Quale.

1. Latitudo huius queſtionis. 2. Communis regula reſpondendi ad hanc queſtionem.

HVic quæſtioni ſubiicitur regula quæ vocatur Qualitas. Quia igitur ſpecies qualitatis ſunt quatuor, quando quæritur qualis res ſit, reſpondebitur ex his quatuor ſpeciebus, vt ſi quæratur, qualis paſtor ſit Chriſtus, reſpondebitur ſecundum habitum fidelis, verax, prudens: ſecundum potentias vel impotentias naturales reſpondebitur eſſe paſtor in quo heroici motus aduerſum lupos eminent & affectio erga oues conſpicitur: ſecundum paſſibiles qualitates reſpondebitur eſſe audibilis ſuis ouibus, & erit tandem iiſdem viſibilis & palpabilis, &c. 1

Cæterùm communis regula reſpondendi ad hanc quæſtionem eſt circularis diſcurſus, qui mutatis abſtractis in concreta ſolet fieri; vt cùm quæritur, qualis paſtor ſit Chriſtus? reſpondetur ex circulo S. diuinus, à Deo ordinatus, cœleſtis, è cœlo deſcendens, ſpiritualis, humanus. Ex circulo VV. iuſtus, fortis, &c. Ex circulo A. Bonus, perpetuus, omnipotens. Ex circulo T. alius & diuerſus à mercenariis, idem cum Deo patre, aduerſus & contrarius lupis. 2

PRÆLECTIO IX.

De quæstione Quando.

1. *Latitudo huius quęstionis.* 2. *Discrimina temporis.*

1 HVius quæstionis regula responsioni accommodata, est Temporalitas quæ monet ad hanc quæstionem respondendum esse vocabulis tempus significantibus, vel expresse vel consequenter. Expresse vel integrum nominando, vt semper, perpetuò, ab æterno, in æternum: vel partem vt annum, æstatem, hyemen, horam. Consequenter verò quod ex nominatis circunstantiis intelligitur; vt, hoc accidit sub rege Alexandro magno. Exempli gratia, quando Christus est passus? respondetur, semper, toto vitæ suæ curriculo. quando sunt vindemiæ? respondetur, Tempore autumni. quando Christus est natus, Tempore Augusti cùm censeretur totus orbis. At notabis hic discrimina temporis,
2 quod vocabula alia sint præsentis vt hodie, nũc: alia præteriti, vt heri, dudum, pridem: alia futuri vt cras. Huc pertinent etiam aduerbia communia diuersorum temporum vt quandoque, aliquando, olim.

PRÆLECTIO X.

De quæstione Vbi.

1. *Latitudo huius quęstionis.* 2. *hęc quęstio generalissima est & transcendens.*

1 REgula huius quæstionis est localitas quæ monet pro terminis responsionis vti nos

oportere designatione loci, vel subiecti, in quo res est, de qua sit quæstio cùm quæritur Vbinam sit.

Ista autem quæstio non solùm est generalissima, sed etiam transcendens, sumitur enim 2

Primò physicè vel secundum differentias locales, sursum, deorsum, ante, retro, dextra, sinistra, intus, extra: vel secundum denominatas locorum species, vt in cœlo, in terra, in aëre, & reliquis.

Secundò ciuiliter, In foro, in Templo, in Senatu.

Tertiò mathematicè, In tali numero, in tali mensura, pondere, gradu.

quartò logicè, In genere, in specie.

Quintò metaphysicè, In bonitate, sapientia, concordantia.

Denique ita generalis est ista quæstio, vt complectatur omnes modos quibus aliquid esse in alio, imaginari & dicere possumus. Sic verbum dicitur esse in mente, mens in verbo, planta in semine, linea in puncto, tempus in æternitate.

Vnde videre est artem istam organo vulgato scientiarum, atque metaphysica, imò artibus esse generaliorem: amplectitur enim scibilia, credibilia, operabilia, quicquid practicum, quicquid mechanicum, quicquid speculatiuum. Huic autem quæstioni adiungenda est quæstio *Vnde* qua quæritur principium vnde motus.

PRAELECTIO XI.

De quæstione Quomodo & Cum quo.

1. Materies huius quæstionis. 2. Huic adiungitur quæstio, Cum quo.

1 NOna quæstio est *Quomodò* cuius regula est modalitas quæ ostendit ordinem & partes ordinis esse explicandas, quando de actionibus seu modis agendi quęstio existit. Queritur enim in ea quid primò, quid secundo loco, quid coniunctim, quid seorsim factum sit, & respondetur per medium gerundium. Hæc autem scimus vel per experientiam quæ nos actioni interfuisse requirit, vel per institutionem quæ fit, aut viua voce, aut scripto.

2 Huic quæstioni adiungitur quæstio *Cum quo* cuius regula est instrumentalitas, nam ipsa quærit de Instrumentis & mediis quibus res in suis operationibus vtuntur, siue illa essentialia sint, quemadmodum anima rationalis instrumentum est quo homo intelligit, vult: siue passiones vel proprietates, sicuti in ferro est grauitas, & in igne leuitas: siue accidentia communia secundum quæ operantur substantiæ, vt sunt nouem Accidentis prædicaměta, & accidentia moralia sub quibus virtutes omnes continentur: siue denique corpora quibus mechanici in diuersis artibus vtuntur.

Habes tandem Auditor terminos ad hanc artem maximè necessarios per quos totius artis discursus fieri potest, possumus tamen istos multiplicare, & alios accipere extraneos per quos eodem modo discurremus. Sit itaque.



SEPTIMA CLASSIS.

De multiplicatione terminorum Artis, extraneorum inuestigatione, figurarum mixtione multiplicatione neq; propositionum inuentione, earumq; defensione ac formatione argumentorum.

PRÆLECTIO I.


1. *Modus multiplicandi subiecta.* 2. *Exempla huius multiplicationis.*

GEnera Subiectorum sic multiplicabimus: aut sub genere quærendo diuisionem: aut illi vni de quo agitur diuersa attribuendo per complexionem substantialem aut accidentalem, hoc modo faciendo subiectum variè complexum. Itaque reducere nos oportet res ipsas sæpe à generibus ad species siue essentiales siue accidentales: sæpe à speciebus ad genera, à subiectis ad proprietates, à partibus ad totum & contrà: atque hoc modo magna copia occurret dicenti. 1

Itaque iuxta præsens artificium principale subiectum in centro collocetur & circum illud in circumferentia per literarum numerum distinctum locentur illa, quæ sibi essentialiter aut

accidentaliter conuenire videntur, extranea quoque quæ ſubiectum ipſum multiplicare valeant.

Exempli gratia ſit *Anima* pro ſubiecto qua poſita in centro, circumſcribamus illi genus ſuum, principia, partes, proprias paſſiones, accidentia communia, virtutes, actus, operationes, cauſas, potentias & ſi quid extra illa eſt quod ad illam referri poſſit, in quibus omnibus ſicut in ſubiecto principali cum omnibus generibus prædicatorum & reſpectuum, quæſtionum & regularum, aliiſque modis procedere poſſumus, ſic enim fiet vt cum de anima ſermo habendus ſit, de omnibus his quæ ad eam pertinent occurrat dicendum, pro exemplo figuram hanc ſubiungemus.



Præterea ſub his terminis deſcenſus fit ad magis ſpecialia vt diuidendo motum Animæ in potentias nutritiuam, augmentatiuam, generatiuam & motum progreſſiuum. Sic ſenſus exteriores in viſum, auditum, olfactum,

gustum, tactum. Similiter Intellectum in agentem, possibilem, speculatiuum & practicum & sic de similibus de quibus particularem sermonem facere continget.

Simili ratione si in genere demonstratiuo oratio habenda sit, vt in persona laudanda, ponatur illa pro subiecto in centro & circumscribamus illi originem, gentem, patriam, parentes, maiores, formam, vires, diuitias, potentiam, actiones & circa huiusmodi, loca, tempora, occasiones & singulis istis alias determinationes vt certus & facilis sit ordo.

Sic in genere deliberatiuo ponatur genus actionis in centro & circumscribantur huic bona, mala, vtilia, facilia, difficilia, possibilia, impossibilia, commoda, incommoda, leges, decreta, statuta, priuilegia, consuetudines, opiniones &c. procedendo cum omnibus istis per singula principia, prædicata, respectus, quæstiones, regulas, sicut id ad intentionem faciliùs & commodiùs videbitur.

PRÆLECTIO II.

De multiplicatione prædicatorum absolutorum.

1. Modus multiplicandi prædicata. 2. Ratio inueniendi similitudines.

1 EAdem ratione qua subiecta multiplicare docuimus, prædicata multiplicantur. Nam habito vno prędicato generali, cum illo in cen-

tro collocato, & ſub illo per eundem modum procedere poſſumus. Exempli cauſa ſi videndum ſit an mundus ſit ęternus, poſtquam mundus & ea quæ mũdi ſunt, in centro Circuli ſunt digeſta, æternitas & ea quæ æternitatis ſunt, digerantur.

Item vbi dictum eſt de mundo & mundi partibus, de bonitate mundi, bonitateque partium, de bonitate æternitatis & eorum quæ ad eius rationem ſpectant, dicatur; & ita deinceps de magnitudine, duratione, principio & reliquis eſt intelligendum.

Singulis verò terminis adde eorundem priuilegia, titulos atque denominationes. Bono enim verbi gratia addi poſſunt *Sui communicatiuum, Appetibile, gratum, id ad quod ordinata ſunt alia, quod arduum, difficile, in omnibus pro naturæ capacitate inſitum, & alia quæ ex Philoſophorum ſententijs decerpere valeas.*

His adde catalogum eorum quæ ſub figuris omnibus, & eorum membris illi prędicato ſunt conformia. Adde metaphoras ſeu tranſlationes & ſimilitudines quarum facilis inuentio, omnia enim de omnibus dici poſſunt vt de homine ſerpens, planta, lectus, ouis, leo, lupus, ſtirps, fructus.

PRÆLECTIO III.

De prædicatorum reſpectiuorum multiplicatione.

1. *Modus multiplicandi eiuſmodi prædicata multiplex.*

1 EX antedictis de ſubiectorum & abſolutorum prædicatorum multiplicatione multos ex temetipſo elicere poteris modos quibus prędicata reſpectiua multiplices: præter quos peculiares horum multiplicandorum modi explanandi ſunt.

Multiplicantur igitur hæc dupliciter, ſcilicet in propria figura & aliena. In propria quidem dupliciter: primò vnum prædicatũ reſpectiuum per alia reſpectiua deducendo, vt ſi dicamus differentiam differentiæ, differẽtiam Concordantiæ & ita deinceps vſque ad B. K. Aliter quoque denominando, dicendo ſcilicet differentiam differentem, contrariantem, principiantem. Et ſicut deduxiſti ipſum B. id eſt differentiam, ita & ipſum C. aliaque deducere poteris elementa. Secundò à particularibus ad vniuerſalia cõſcendendo & contra. In aliena autem figura etiam dupliciter: primò per applicationem huius figuræ ad primam nempe ſubiectorum; applicationem inquam cùm generalem, vt cùm inter Deum & hominem differentia conſideratur, vel concordãtia, vel reliqua: tum particularem vt cùm conſideratur inter hunc Angelum &

hunc hominem, hoc Cœlum & illud, hanc & illam virtutem. Secundò per deductionem terminorum huius figuræ T. per terminos generales figuræ A. id est prædicatorum absolutorum vt cum B. id est Differentia ponitur sub B id est bonitate significando differentiam inter bonitatem & bonitatem: aut sub C. significando differentiam inter magnitudinem & magnitudinem & ita vlterius vsque ad K. Deinde ponendo angulum B. figuræ T. inter B. & C. illius figurę A. significando differentiam inter bonitatem & magnitudinem: inter C. & D. id est magnitudinem & durationem & vltra vsq; ad medium inter I. & K.

Tandem ponendo angulum B. eiusdem figuræ T. inter B. & D. figuræ A. videndo differentiam inter bonitatem & durationem: inter C. & E. id est inter magnitudinem & potestatem & ita deinceps. Quod autem dicimus de angulo B. de aliis omnibus angulis Triangulorum dictum intelligatur.

PRÆLECTIO IV.

De multiplicatione regularum.

1. *Quibus modis multiplicentur regulæ.*

SAtis ex superioribus multiplicationem regularum intelligere poteris, ad doctrinæ nihilominus claritatem non pigebit aliquos enumerare modos multiplicationis earum. 1

Multiplicantur ergo primò per latitudinem

ſignificationis earum, quia videlicet non ſub alicuius definitæ ſcientiæ ambitu perquirunt.

Secundò per earum enumeratas ſpecies.

Tertiò per earum ad inuicem complicationẽ.

Quartò deductione per ſpecies aliarum quæſtionum, vt ſi de ſpeciebus *Quid eſt* quæratur per *Quantum*, vel per *Quale*: vt *Quantum eſt in ſe? Quantum eſt in alio? Quale eſt in ſe? Quale eſt in alio?* Similiter de ſpeciebus quæſtionis *De quo*, quærimus *Quanta* aut *Qualis* res originaliter, eſſentialiter &c. Et ſic ſub ſpeciebus quæſtionis *Quare*; *Quanta* aut *Qualis* res formaliter, finaliter &c.

PRÆLECTIO V.

De inueſtigatione terminorum extraneorum.

1. *Quinam ſint termini extranei.* 2. *Eorum inuentio.*

1 IN hac prælectione docendum quomodo termini extranei accipiendi ſint. Termini autem extranei ſunt quicunque nõ ſunt apertè in hac arte notati: horum multiplex copia emergit.

Primò ex multiplicatione principiorum.

Secundò per oppoſitionem ad terminos in arte expreſſos.

2 Tertiò ex ſimilitudine ſeu vicinitate ad eoſdem vt patet ex ſingulis terminis quibus ſubiecimus cognata & repugnantia.

Quartò ex cuiuſq; rei vel actionis ſeu negotii, ſciẽtię vel artis propriis cõmunibuſq; principiis.

Et

Et eiusmodi termini inuenti rediguntur suo modo in circulos & figuras cum literarum distributione, & secundum artem in se inuicem ducuntur & cum terminis expressis commiscẽtur prout orationi conuenire videtur.

PRÆLECTIO VI.

De figurarum mixtione.

1. Quomodo fiat hęc mixtio. 2. Tripliciter fieri idque in vna aut varijs figuris. 3. Species huius mixtionis cum earum conditionibus.

HÆc mixtio fit deducendo singula principia cum aliis principiis: exemplum sit bonitas per principia deducta. 1

Bonitas per se est ratio bono, vt agat bonum siue producat: quia autem bonitas per magnitudinem magna est, id circo est ratio bono duplex vt producat bonum magnum, & quia per durationem est durabilis, est ratio triplex eidem bono vt producat bonum durabile & sic in aliis principijs absolutis cum quibus eodem modo poteſt commisceri.

Bonitas per differẽtiam est clara & non confusa, & sic est ratio bono quod agat bonum clarè à seipso distinctum. Eadem per concordantiam agit bonum sibi simile, per contrarietatem opponitur malitiæ, per principium habet rationem principij, per medium rationem medij, per finem rationem finis, per maioritatem rationem maioritatis, per æqua

litatem rationem æqualitatis, per minoritatem, rationem minoritatis, quæ sunt multiplices rationes quibus bonitas agit bonum multiplex. Per principium quidem, agit bonum causam seu originem habens: per medium, bonum agit cum medio: per finem, bonum perfectum: per maioritatem, maius bonum: per æqualitatem æquale alteri: per minoritatem, minus altero; quæ omnia dicuntur respectiuè siue comparatiuè, & sic de aliis principiis per alia ductis cum quibus possunt multipliciter commisceri. Excludimus tamen contrarietatem & minoritatem cum quibus non possunt principia habere multitudinem.

Fit autem eiusmodi mixtio tripliciter

2 Vel { Terminis in arte explicitis inter se,
Extraneis inter se,
Explicitis cum extraneis. }

Et omnia hæc variè: aut in vna figura tantùm, vt si dicatur in figura S. *Deus est homo*:

In figura A, *Bonitas est magna*:

In figura T. *Deus est principians*:

In figura Q. *Angelus est de Deo*:

Aut in diuersis figuris vel duplici vel multiplici vt in figuris S. A. *Deus est bonus*.

In S.T. *Deus est principium*:

In A.T. *Bonitas est concordans*.

Et hoc modo multa varietas commixtionis emerget quando cum vnaquaque litera circuli immobilis variantur omnes literæ quæ sunt in circulo mobili. Vbi notandum in hac dupli-

ci vel multiplici figura ſæpe alterum Circulorum duplicari vel multiplicari, verbi gratia in S. A. duplicando circulum S. vt ſi dicatur *Deus eſt melior Angelo*: vel *Angelus eſt melior homine.* In S. T. *Deus differt ab homine.* In A. T. *Bonitas differt ab æternitate*: vel duplicando circulum T. dicendo *Concordantia magis conuenit veritati quàm differentia.*

Simili modo in extraneis terminis faciendum eſt, poſſumus enim extraneum ſubiectum accipere & cum eo per has figuras ſiue Circulos vel ſimplices vel duplices vel multiplices diſcurrere: ſimiliter cum extraneis prædicatis & reſpectibus agere, itaut ſemper vnus circulus immobilis maneat pro baſi, ad quem omnes alii circuli mobiles vario modo applicentur.

Sunt autem ſpecies huius mixtionis communiores

Octo. { SS. AA. TT. QQ. AT. AQ. TQ. ATQ. }

Raymundus tamen in arte quatuor duntaxat ponit mixtionis ſpecies quas quatuor vocat generales figuras.

Prima eſt figura A. in ſeipſam ducta, vt ſi dicatur *Bonitas eſt magna.*

Secunda est figura T. in seipsam quoque ducta, vt si dicatur *Differentia est principians.*

Tertia constat ex prima & secunda vt *Bonitas est differens.*

Quarta componitur ex tribus prioribus omnibus iunctis.

Prima figura nempe A. versatur circa primum ens in quo subiectum & prædicatum conuertunturin identitate subiectæ naturæ & numeri, & istud primum ens est Deus ad quem primò & conuertibiliter principia huius figuræ applicantur, deinde ad reliqua omnia subiecta pro rata portione.

Inquirimus autem per istam figuram naturalem coniunctionem, dispositionem & proportionem inter subiectum & prædicatum, vt ad faciendam conclusionem medium possit inueniri, & per eandem inuestigamus quæ conuertantur & quæ non; quæ sunt propriæ passiones & quæ appropriatæ.

Mixtio huius figuræ fit tripliciter.

Primò in abstracto vt *Bonitas est magnitudo.*

Secundò in concreto vt *Bonum est magnum.*

Tertiò in concreto & abstracto vt *Bonitas est magna.*

Et eliciuntur ex ista figura propositiones octoginta vna, secundum quemlibet prædicandi modum, contrahendo vnum principium cùm ad se nempe ad suam definitionem, tum ad aliud.

In hac denique figura maximè obseruandum est ne conuersio & proportio quæ est inter

vnum principium & aliud destruatur, vtpote de quo dicitur duratio secundum æternitatem, de illo dicatur magnitudo secundum infinitatem, & potestas secundum omnipotentiam.

Secunda figura est T. scilicet triangulorum, quæ inquirit obiecta optata, vnde per illam Intellectus incipit acquirere scientiam discurrendo per illam in orbem, ad lineam, rectè & obliquè, mutando angulos cum angulis, terminos cum terminis generatim & speciatim & facit totidem propositiones suo modo quot prima.

Conditio huius figuræ est, vt vnus triangulus alium adiuuet, & alius alium probet.

Tertia figura quam diximus constare ex prima & secunda figura nempe A. & T. miscet omnia principia cum omnibus, vt Intellectus per omnia principia cognoscat quodlibet principium, inueniatque medium cum quo subiectum & prædicatum coniunguntur, vt ad quamlibet propositionem siue conclusionem probandam & declarandam multas inueniat rationes.

Continet hæc figura triginta sex cameras (cameræ autem vocãtur in hac arte quælibet literarum siue terminorum combinationes, siue complicationes) quarum quælibet duas complectitur literas, & quælibet litera stat pro subiecto & prædicato cuiusque duarum præcedentium figurarum, huius figuræ sequitur tabula.

bc	cd	de	ef	fg	gh	hi	ik
bd	ce	df	eg	fh	gi	hk	
be	cf	dg	eh	fi	gk		
bf	cg	dh	ei	fk			
bg	ch	di	ek				
bh	ci	dk					
bi	ck						
bk							

Triginta hæ ſex cameræ eliciuntur ex octo-ginta vna cameris tabulæ quadratæ quas gene-rant duorum circulorum mixtiones, quando vnus mobilis voluitur cum qualibet litera cir-culi immobilis, vt videre eſt in hac ſequenti ta-bula.

bb	cb	db	eb	fb	gb	hb	ib	kb
bc	cc	dc	ec	fc	gc	hc	ic	kc
bd	cd	dd	ed	fd	gd	hd	id	kd
be	ce	de	ee	fe	ge	he	ie	ke
bf	cf	df	ef	ff	gf	hf	if	kf
bg	cg	dg	eg	fg	gg	hg	ig	kg
bh	ch	dh	eh	fh	gh	hh	ih	kh
bi	ci	di	ei	fi	gi	hi	ii	ki
bk	ck	dk	ek	fk	gk	hk	ik	kk

Iam in qualibet camera prædictæ tabulæ huius figuræ tertiæ ſunt duodecim propoſitiones, vt in camera bc.

Bonitas eſt magna,
Bonitas eſt differens,
Bonitas eſt concordans.

Magnitudo eſt bona,
Magnitudo eſt differens,
Magnitudo eſt concordans.

Differentia eſt bona,
Differentia eſt magna,
Differentia eſt concordans.

Concordantia eſt bona,
Concordantia eſt magna,
Concordantia eſt differens.

Hac ratione & reliquæ cameræ omnes euacuari poſſunt.

Sciendum inſuper vnamquamque propoſitionem duas habere implicitas quæſtiones de natura literarum cameram conſtituentium, vnde in quauis camera ſunt viginti quatuor quæſtiones, & ita in tota figura ſunt propoſitiones quadringentæ & triginta duæ, quæſtiones verò octingentæ ſexaginta quatuor.

Conditio huius figuræ eſt, vt vna camera non ſit contra aliam, ſed ſe mutuò adiuuent & probent.

Quarta figura disponit Intellectum ad inuestigandum & inueniendum, obiiciendum, probandum, determinandumque per necessarias conclusiones, & hæc constat ex tribus circulis quorum superior semper est immobilis, duo verò inferiores mobiles.

Continet autem in se tres præcedentes, ideo ipsa est generalior, nam in qualibet camera huius figuræ sunt tres litteræ, quarum prima est nota eorum quæ in propositione loco subiecti ponuntur: tertia eorum quę loco prædicati: media denique medium terminum monstrat.

Sequitur huius figuræ tabula quæ est octoginta & vnius columnarum, quælibet columna, nouem camerarum quæ faciunt cameras septingentas & viginti nouem, in qua Intellectus discurrendo per principia & regulas facit se adeo vniuersalem & generalem vt Sophista contra illum stare non possit.

Circul. B.

Combin. I.		1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
	1.	Bbb	Bcb	Bdb	Beb	Bfb	Bgb	Bhb	Bib	Bkb
	2.	Bbc	Bcc	Bdc	Bec	Bfc	Bgc	Bhc	Bic	Bkc
S.	3.	Bbd	Bcd	Bdd	Bed	Bfd	Bgd	Bhd	Bid	Bkd
A.	4.	Bbe	Bce	Bde	Bee	Bfe	Bge	Bhe	Bie	Bke
T.	5.	Bbf	Bcf	Bdf	Bef	Bff	Bgf	Bhf	Bif	Bkf
Q.	6.	Bbg	Bcg	Bdg	Beg	Bfg	Bgg	Bhg	Big	Bkg
	7.	Bbh	Bch	Bdh	Beh	Bfh	Bgh	Bhh	Bih	Bkh
	8.	Bbi	Bci	Bdi	Bei	Bfi	Bgi	Bhi	Bii	Bki
	9.	Bbk	Bck	Bdk	Bek	Bfk	Bgk	Bhk	Bik	Bkk

Circul. C.

Combin. II.		1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
	1.	Cbb	Ccb	Cdb	Ceb	Cfb	Cgb	Chb	Cib	Ckb
	2.	Cbc	Ccc	Cdc	Cec	Cfc	Cgc	Chc	Cic	Ckc
S.	3.	Cbd	Ccd	Cdd	Ced	Cfd	Cgd	Chd	Cid	Ckd
A.	4.	Cbe	Cce	Cde	Cee	Cfe	Cge	Che	Cie	Cke
T.	5.	Cbf	Ccf	Cdf	Cef	Cff	Cgf	Chf	Cif	Ckf
Q.	6.	Cbg	Ccg	Cdg	Ceg	Cfg	Cgg	Chg	Cig	Ckg
	7.	Cbh	Cch	Cdh	Ceh	Cfh	Cgh	Chh	Cih	Ckh
	8.	Cbi	Cci	Cdi	Cei	Cfi	Cgi	Chi	Cii	Cki
	9.	Cbk	Cck	Cdk	Cek	Cfk	Cgk	Chk	Cik	Ckk

Circul. D.

	Combin. III.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
	1.	Dbb	Dcb	Ddb	Deb	Dfb	Dgb	Dhb	Dib	Dkb
	2.	Dbc	Dcc	Ddc	Dec	Dfc	Dgc	Dhc	Dic	Dkc
S.	3.	Dbd	Dcd	Ddd	Ded	Dfd	Dgd	Dhd	Did	Dkd
A.	4.	Dbe	Dce	Dde	Dee	Dfe	Dge	Dhe	Die	Dke
T.	5.	Dbf	Dcf	Ddf	Def	Dff	Dgf	Dhf	Dif	Dkf
Q.	6.	Dbg	Dcg	Ddg	Deg	Dfg	Dgg	Dhg	Dig	Dkg.
	7.	Dbh	Dch	Ddh	Deh	Dfh	Dgh	Dhh	Dih	Dκh
	8.	Dbi	Dci	Ddi	Dei	Dfi	Dgi	Dhi	Dii	Dκi
	9.	Dbk	Dcκ	Ddκ	Deκ	Dfκ	Dgκ	Dhκ	Diκ	Dκκ

Circul. E.

Combin. IV.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
1.	Ebb	Ecb	Edb	Eeb	Efb	Egb	Ehb	Eib	Ekb
2.	Ebc	Ecc	Edc	Eec	Efc	Egc	Ehc	Eic	Ekc
S. 3.	Ebd	Ecd	Edd	Eed	Efd	Egd	Ehd	Eid	Ekd
A. 4.	Ebe	Ece	Ede	Eee	Efe	Ege	Ehe	Eie	Eke
T. 5.	Ebf	Ecf	Edf	Eef	Eff	Egf	Ehf	Eif	Ekf
Q. 6.	Ebg	Ecg	Edg	Eeg	Efg	Egg	Ehg	Eig	Ekg
7.	Ebh	Ech	Edh	Eeh	Efh	Egh	Ehh	Eih	Ekh
8.	Ebi	Eci	Edi	Eei	Efi	Egi	Ehi	Eii	Eki
9.	Ebk	Eck	Edk	Eek	Efk	Egk	Ehk	Eik	Ekk

Circul. F.

S. A. T. Q.

Combin. V.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
1.	F bb	F cb	F db	F eb	F fb	F gb	F hb	F ib	F κb
2.	F bc	F cc	F dc	F ec	F fc	F gc	F hc	F ic	F κc
3.	F bd	F cd	F dd	F ed	F fd	F gd	F hd	F id	F κd
4.	F be	F ce	F de	F ee	F fe	F ge	F he	F ie	F κe
5.	F bf	F cf	F df	F ef	F ff	F gf	F hf	F if	F κf
6.	F bg	F cg	F dg	F eg	F fg	F gg	F hg	F ig	F κg
7.	F bh	F ch	F dh	F eh	F fh	F gh	F hh	F ih	F κh
8.	F bi	F ci	F di	F ei	F fi	F gi	F hi	F ii	F κi
9.	F bk	F ck	F dk	F ek	F fk	F gκ	F hκ	F iκ	F kk

Circul. G. { S. A. T. Q }

Combin. VI.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
1.	Gbb	Gcb	Gdb	Geb	Gfb	Ggb	Ghb	Gib	Gkb
2.	Gbc	Gcc	Gdc	Gec	Gfc	Ggc	Ghc	Gic	Gkc
3.	Gbd	Gcd	Gdd	Ged	Gfd	Ggd	Ghd	Gid	Gkd
4.	Gbe	Gce	Gde	Ge	Gfe	Gge	Ghe	Gie	Gke
5.	Gbf	Gcf	Gdf	Gef	Gff	Ggf	Ghf	Gif	Gkf
6.	Gbg	Gcg	Gdg	Geg	Gfg	Ggg	Ghg	Gig	Gkg
7.	Gbh	Gch	Gdh	Geh	Gfh	Ggh	Ghh	Gih	Gkh
8.	Gbi	Gci	Gdi	Gei	Gfi	Ggi	Ghi	Gii	Gki
9.	Gbk	Gck	Gdk	Gek	Gfk	Ggk	Ghk	Gik	Gkk

Circul. H.

{S. A. T. Q.}

Combin. VII.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
1.	Hbb	Hcb	Hdb	Heb	Hfb	Hgb	Hhb	Hib	Hĸb
2.	Hbc	Hcc	Hdc	Hec	Hfc	Hgc	Hhc	Hic	Hĸc
3.	Hbd	Hcd	Hdd	Hed	Hfd	Hgd	Hhd	Hid	Hĸd
4.	Hbe	Hce	Hde	Hee	Hfe	Hge	Hhe	Hie	Hĸe
5.	Hbf	Hcf	Hdf	Hef	Hff	Hgf	Hhf	Hif	Hĸf
6.	Hbg	Hcg	Hdg	Heg	Hfg	Hgg	Hhg	Hig	Hĸg
7.	Hbh	Hch	Hdh	Heh	Hfh	Hgh	Hhh	Hih	Hĸh
8.	Hbi	Hci	Hdi	Hei	Hfi	Hgi	Hhi	Hii	Hĸi
9.	Hbk	Hck	Hdk	Hek	Hfk	Hgĸ	Hhĸ	Hiĸ	Hkk

Circul. I.

S. A. T. Q

Combin. VIII.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
1.	Ibb	Icb	Idb	Ieb	Ifb	Igb	Ihb	Iib	Ikb
2.	Ibc	Icc	Idc	Iec	Ifc	Igc	Ihc	Iic	Ikc
3.	Ibd	Icd	Idd	Ied	Ifd	Igd	Ihd	Iid	Ikd
4.	Ibe	Ice	Ide	Iee	Ife	Ige	Ihe	Iie	Ike
5.	Ibf	Icf	Idf	Ief	Iff	Igf	Ihf	Iif	Ikf
6.	Ibg	Icg	Idg	Ieg	Ifg	Igg	Ihg	Iig	Ikg
7.	Ibh	Ich	Idh	Ieh	Ifh	Igh	Ihh	Iih	Ikh
8.	Ibi	Ici	Idi	Iei	Ifi	Igi	Ihi	Iii	Iki
9.	Ibk	Ick	Idk	Iek	Ifk	Igk	Ihk	Iik	Ikk

Circul. IX.

Combin. IX.		1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
	1.	Kbb	Kcb	Kdb	Keb	Kfb	Kgb	Khb	Kib	Kkb
S.	2.	Kbc	Kcc	Kdc	Kec	Kfc	Kgc	Khc	Kic	Kkc
A.	3.	Kbd	Kcd	Kdd	Ked	Kfd	Kgd	Khd	Kid	Kkd
T.	4.	Kbe	Kce	Kde	Kee	Kfe	Kge	Khe	Kie	Kke
Q.	5.	Kbf	Kcf	Kdf	Kef	Kff	Kgf	Khf	Kif	Kkf
	6.	Kbg	Kcg	Kdg	Keg	Kfg	Kgg	Khg	Kig	Kkg
	7.	Kbh	Kch	Kdh	Keh	Kfh	Kgh	Khh	Kih	Kkh
	8.	Kbi	Kci	Kdi	Kei	Kfi	Kgi	Khi	Kii	Kki
	9.	Kbk	Kck	Kdk	Kek	Kfk	Kgk	Khk	Kik	Kkk

Conditio iſtius figuræ eſt vt accipiantur ſolùm illæ cameræ quæ ſunt magis applicabiles ad propoſitum. Neque enim hîc eſt certandum numero, ſed pondere, nec ſunt deligenda centum axiomata, quorum nonaginta ſint deſerenda.

Eſt hæc obſeruatio Fonſecæ dicentis li. 7. Inſtit. Dialect. *Cùm quæſtio propoſita fuerit, tum ſubiectum, tum prædicatum, tum etiam tota complexio per locos dialecticos deducenda ſunt, vt argumenta omnia quæ ad rem pertinebunt, quaſi dato ſigno occurrant; nec enim neceſſe erit pulſare oſtiatim & omnia latibula perſcrutari, quandoquidem quæ aliquid veri habuerint ad ſingulas quaſi inclamationes ex ſingulis locis ſponte prodibunt. Quin etiam tanta ſæpe te inutilium argumentorum turba vel celeriter per omnes locos diſcurrentem ſequetur, vt non mediocris labor ſit ab ea te expedire. Contra verò nonnunquam proponentur quæſtiones ad quas tractandas pauci admodum loci ſuppeditabunt argumenta, quo fiet vt quantumuis ad oſtia reliquorum pulſes, nihil inde ſubſidij ſperare debeas. Itaque hac locorum arte non ſunt argumenta cogenda, ſed quaſi inuitanda: alioqui timendum eſt ne via hæc & ratio quæ facilè exquirendis ac inueniendis argumentis excogitata eſt, impedimento ſit futura ingeniis, & argumenta quæ ratio ipſa per ſe liberiùs diſcurrens, haud magno labore inueniret, his legibus quaſi compedibus aſtricta nullo modo aſſequatur. Neque enim eò quæſita eſt hæc ars, vt naturam quaſi vinculis ligaret, ſed vt in certis paſsibus vagantem ad viam reduceret. Animaduertendum eſt autem traditos locos non ſolùm ſuppeditare materiam omnis*

probationis, ſed etiam amplificationis. Amplificatur enim res ex conglobatis definitionibus, ſeu potius deſcriptionibus, ex partium enumeratione, ex antecedentibus, conſequentibus & circunſtantiarum frequentia, ex multorum ſimilium, maiorum, minorum, parium, diſsimilium, contrariorum, teſtimoniorum collatione.

Ad extremum ſi per hanc reuolutionem quartæ figuræ ſcientiam conſequi cogitas, hoc eſt propoſitionem defendere & multiplicare, primò tibi inuenienda propoſitio. Itaque nunc agendum de propoſitionum inuentione.

PRAELECTIO VII.

De Inuentione propoſitionum.

1. *Inuentio ſubiecti.* 2. *Inuentio prædicati.* 3. *Combinatio vtriuſque.*

SI propoſitionem inuenire vis, inquire primò ſimplex ſubiectum ſcientiæ, dein prædicatum mouendo circulos. 1

Si verò ſubiectum iam habueris, percurre primùm circulum ſubiectorum, in quo ſi erit, vel explicitè erit, vt Deus & Angelus: vel implicitè ſub generali & explicito comprehenſus, vt bos, aſinus, piſcis, auis, ſub *Senſitiuo*.

Quod ſi in circulo Subiectorum S. non occurrat, accedendum eſt ad circulum Accidentium.

Denique ſi in neutro inueniatur, percurrendi ſunt circuli prædicatorum.

Sæpe tamen ſubiectum inuenimus citra diſcurſum circularem cum incidimus in aliquod obiectum ſenſibile miniſterio ſenſuum, tum externorum, vt quando quippiam videmus, audimus, tangimus: tum internorum, vt quando quid recordamur.

Inuento ſubiecto ſcientiæ ea quoque inquirere oportet, quæ de ſubiecto dici ac ſciri poſſunt, quod conſequeris mouendo quoque circulos.

3 Inuentis ſubiecto & prædicato conſtitues propoſitionem affirmantem vel negantem cuius defenſio ſequitur.

Prælectio VIII.

De propoſitionis inuentæ defenſione.

1. Quid ſit propoſitionis defenſio. 2. Confirmationis leges. 3. Argumentandi ratio facillima, definiendi quoque & demonſtrandi. 4. Terminorum Lullianorum diuiſio in tres circulos. 5. Quæſtio probanda ſeu defendenda. 6. Memoriæ ars & quomodo cum fructu legendum & audiendum.

1 Defendi propoſitiones dicimus confirma-
2 tione veri & falſi refutatione. Confirmationis autem leges ſunt hæ.

Si confirmare propoſitionem velis ipſam reſolue in ſuos terminos, & vnumquemque eorum duc per circulos, quia confirmatio nihil eſt aliud quam plurium propoſitionum cohærentia.

II. Plurimùm ad inuenienda media & argumenta prodesse scito variè propositionem circumloqui, vt si quis verbi gratia, volens enarrare summam Euangelij quæ est Ioan. 3. talem effingat paraphrasim.

Sic Deus ad quem nos comparati nihil sumus, *dilexit mundum* quem odisse poterat, *vt daret* quem non modo negare poterat Mediatorem, sed & nobis damnandis iudicem præficere, *Filium* non seruum: non vnum è multis, sed *vnigenitum*; *vt qui in eum* qui mortuus est *credit* & quidem non ex suis viribus, sed Dei gratia, *non pereat, sed habeat vitam*, non temporariam ad mensem vel annos aliquot, sed *eternam*. Et sic contraria iuxta se posita clariùs elucescunt.

III. Omnium facillimam argumentandi rationem tibi monstrabit præcedens tabula quartæ figuræ, de qua sunt hæ regulæ practicæ. 3

Prima. Si tibi quædam propositio sit confirmanda, inquire ex quo circulo subiectum & prædicatum sint desumpta, vt vniuscuiusque literam inuenias.

Secunda. Postquam in circulis literæ tam subiecti quam prædicati in promptu sunt, vide combinationem quam ostendit litera subiecti, & si subiectum sit verbi gratia C. adhibeatur combinatio secunda cuius nota est etiam C.

Tertia. Columnas considera & in qua vltimam literam esse prædicati characteristicam deprehenderis, ea cameras argumentorum quibus propositio præsens confirmari potest, continet.

Quarta. Poſtquam de columna combinationis certus es, conſiderabis primò ſingularum camerarum illius columnæ literam mediam & nouem reperies. Dein aggreſſurus confirmationem vnamquamque literam mediam ad naturam quatuor circulorum examina, vt ſi ſit verbi gratia litera media B. ducitur argumentum ex circulo S. à deitate, ex circulo A. à bonitate, ex circulo T. à differentia, ex circulo Q. à poſſibilitate, iſta enim litera media fontem monſtrat, vnde argumenti materia fluit, ac proinde peti debet.

Quinta. Quia litera media non ſolùm eſt ſubiecti, ſed etiam prædicati, diſcurſus per quatuor circulos S.A.T.Q. bis fieri debet, nempe illius & huius cauſa.

Sexta. Per quartam figuram quæ tribus abſoluitur circulis poſſumus definire & demonſtrare ſeu argumentari. Definimus cum ſumimus genus cum differentia, vt cùm dicimus, *homo eſt animal rationale* qui termini ſignificãtur per E. G. circuli S. Demonſtramus ſeu argumentamur, cùm inter ſubiectum & prædicatum aſſumimus diuerſa media ad demonſtrandum ipſum ſignificatum per elementum minimi circuli prædicari de ſignificato per Elementum maximi circuli, ita vt circulus medius ſemper ſignificet cauſam vel medium propter quod prædicatum dicitur de ſubiecto. Quod vt clariùs intelli-
4 gas, notabis omnes terminos Lullianos diuidi in tres circulos, in maximum qui tribuitur ſubiecto, in medium ex quo ſumitur cauſa vel me-

dium propter quod prædicatum ineſt ſubiecto, & in minimum ſeu infimum qui prædicatis debetur, quos omnes circulos ſingulæ figuræ recipiunt. Exempli cauſa in hac propoſitione *Deus eſt bonus*, primus terminus *Deus* eſt ſub litera B. circuli S. ſecundus nempe *bonus* eſt ſub litera B. circuli A. Igitur B. circuli S. induit naturam maximi circuli: B. verò circuli A. naturam minimi circuli: Sub quibus literis, id eſt, ſub terminis *Deus* & *bonus* voluendus medius circulus qui primò induat naturam prædicatorum abſolutorum figuræ A. ſecundò reſpectiuorum figuræ T. Tandem quæſtionum & regularum figuræ Q. Exempla ſubiicio.

Quæſtio probanda ſeu defendenda: An bonitas ſit magna: *Affirmatiua demõſtratur primò per figuram A.* 5

IN hac quæſtione habes *bonitatem* pro ſubiecto, *magnam* pro prædicato: diſpone ergo elementum B. in circulo ſuperiori ſignificans ſubiectum quod eſt *bonitas*, & C. circuli infimi ſignificans prædicatum quod eſt *magna*, ad quod probandum inueniendum eſt medium ſeu cauſa. Manentibus ergo immobilibus ſupremo & infimo circulo, ducantur inter illa duo elementa, ſcilicet B. C. ſeu terminos *bonitatem* & *magnam*, ducantur inquam cætera elementa ſeu termini per ordinem reuoluendo medium circulum, &

Primò B. figuræ A. ponendo hanc combinationem Bbc. Quod ſe in omne diffundit magnum eſt: atqui bonitas ſe in omnia diffundit, ergo magna eſt.

2. per bcc. Quod extendi poteſt, magnum eſt.

3. per bdc. Quod durabile eſt, magnum eſt.

4. per bec. Quod habet poteſtatem in aliud &c.

5. per bfc. Quia ſummarum rerum cognitionem efficit.

6. per bgc. Quia omnia vincit.

7. per bhc. Quia omnibus rebus dat virtutem.

8. per bik. Quia veritatem conſeruat.

9. per bkc. Quia gloriam parit.

Secundò demonſtratur per figuram T.

1. per cameram bbc. Quod ſuum cuique tribuit magnum eſt: at bonitas.

2. per bcc. Quia omnia vnit.

3. per bdc. Quia reſiſtit aduerſis.

4. per bec. Quia omnium rerum eſt principium.

5. per bfc. Quia omnes res componit.

6. per bgc. Quia omnis rei finis eſt.

7. per bhc. Quia omnes prętogatiuas continet.

8. per bic. Quia omnia æquat.

9. per bkc. Quia omnibus reſiſtit.

Adde tu ad idem probandum similes rationes, aliaque exempla secundum artem.

Cùm autem alias vel similes rationes aut à doctis audies, aut in alijs leges, si cum fructu vis audisse aut legisse singula ad terminos circulorum referre debes. Hi enim termini patefaciunt aditum non solùm ad inuentiones plurimas, sed etiam maximè faciunt ad memoriam, cum sint quasi via artificiosa & methodica ad corrigendum defectum, roborandam infirmitatem & subleuandam virtutem memoriæ naturalis.

PRÆLECTIO IX.

De formatione Argumentorum.

1. Quotuplex sit forma argumenti. 2. Quid sit Exemplum. 3. Quid Inductio. 4. Quid Enthymema. 5. Quid Syllogismus. 6. Elementa Syllogismi.

FOrma Argumenti quadruplex est. Nam 1

Aut { Exemplum, Inductio, Enthymema, Syllogismus.

Exemplum est argumentatio in qua singulare 2
aliquid ex vno vel perpaucis similibus concluditur siue illud sit rei factæ, quod simpliciter dicitur Exemplum, vt si dicas Gulæ vitium primis parentibus in statu innocentiæ exitij causam fuisse, toti quoque humano generi temporibus Noë in lege naturæ, ergo & Christianis in statu

gratię damnationis causam fore: siue illud sit rei fictæ, vt sunt parabolæ quarum frequentia sunt exempla in sacris literis.

3 Inductio est argumentatio in qua ex enumeratione sufficienti singularium, aliquid vniuersale concluditur in hunc modum: hic homo & hic & iste & reliqui ratiocinantur, ergo omnis homo ratiocinatur.

4 Enthymema est argumentatio in qua altera duarum præmissarum reticetur, altera verò exprimitur, quare meritò dici potest Syllogismus imperfectus, addita enim ea propositione quæ reticetur fiet integer Syllogismus: verbi gratia istud est Enthymema,

Homo sentit,

Ergo est animal.

5 Syllogismus (quæ est nobilissima species argumentationis) definitur ab Aristotele Oratio in qua quibusdam positis aliud quidpiam ab iis quæ posita sunt necessariò sequitur: id est Syllogismus est argumentatio in qua præmissis in antecedēte duabus propositionibus, tertia quę dicitur Conclusio seu consequens ab illis duabus præcedentibus diuersa necessariò sequitur, posito quod duæ præcedentes admissæ seu concessæ fuerint: in quo maximè differt Syllogismus ab Enthymemate, cuius antecedente concesso potest negari consequens: huius rei ratio est, quòd in Syllogismo formalis consecutio siue illatio sit necessaria propter nexum ac dispositionem medij cum terminis ex quibus cōstat Conclusio, non verò in Enthymemate in quo

eiusmodi nexus non reperitur, sicut nec in aliis consecutionum generibus.

Ex dictis de Syllogismo colligis Elementa seu principia ex quibus constat & in quæ resoluitur Syllogismus, esse propositiones & terminos. 6

Propositio triplex est; duæ priores habent rationem antecedentis, dicunturque vulgò præmissæ, eò quod Conclusioni præmittantur: postrema verò habet rationem Cõsequentis, diciturque Conclusio, quia ex præmissis concessis necessariò infertur seu concluditur. Duarum autem præmissarum altera dicitur Maior quæ ordinatè priori loco præmittitur: altera Minor seu Sumptio vel Assumptio quæ Maiorem subsequitur.

Terminus dicitur Extremus vel Medius.

Extremus est qui in cõsequente ponitur cùm semel assumptus fuerit in antecedente. Est autem duplex, alius enim dicitur maior qui in maiori propositione assumitur cum medio, estque prædicatum in Conclusione: alius verò minor qui in minore propositione assumitur cum medio, estque subiectum in Conclusione, quod intelligendum est in modis directis argumentandi. Medius verò terminus seu argumentum est ratio probandæ Conclusionis, & cum vtroque extremo in antecedẽte ponitur, nunquam verò Conclusionem ingreditur vt patet in hoc Syllogismo

Omne animal est substantia,
Homo est animal,
Ergo homo est substantia.

Consule si vis logicos de figura Syllogistica.



OCTAVA CLASSIS.

De quæstionum Dissolutionibus, & argumentorum solutionibus.

PRAELECTIO I.

1. Duplex solutio. 2. Quæstionum solutiones vnde petendæ. 3. Ratio inueniendi quid ad quoduis quæsitum respondendum sit. 4. Solutiones quæstionum duplicis generis.

1 SOlutio duplex est, vna respondens ad dubias quæstiones, alia dissoluens argumenta: in hac quæstione de prima agendum, de altera in sequenti.

2 Solutiones itaque per quas ad dubias quæstiones respondemus ex regulis & speciebus quæstionum sumere oportet, vt ostensum est in sexta Class. vbi de figura Q. Sed licet hoc facile sit cognoscere, non tamẽ facilè reperietur quid

3 respondeatur. Ad inueniendum itaque quid ad quoduis quæsitum respondendum sit, sex modi sequentes maximè sunt vtiles

Nempe
- Figura A.
- Figura T.
- Figura duplex.
- Figura multiplex.
- Figura S.
- Figura Q.

Solutionum verò eiusmodi

Aliæ sunt { Directæ, Indirectæ.

Directæ sunt quando responsio ipsa immediatè ex terminis huius artis colligitur.

Indirectæ quando id quod pro responsione inuentum est, non in arte explicatum est, sed secundum artis terminos reperitur & excogitatur.

Exemplum vtriusque solutionis erit, si verbi gratia quæratur *Quid est Angelus?* respondetur primò directè secundum regulam Quidditatis per figuram A. *Angelus est qui sua potentia agit & sapientia cognoscit, nullo sensu imperante vel obiecto mouente*: Indirectè verò secundum eandem regulam quidditatis non expressè ex his quæ in arte ponuntur, sed in ea compertis vt ex figura T. per angulos B C. Nam per angulum C. inuenitur aliquid loco generis, in quo Angelus cum alia re concordat vt si dicatur *Angelus est spiritus*: deinde per B. inuenitur differentia per diuisionem illius quod loco generis inuentum est vel per separationem subiecti propositi ab aliquo alio quod sub eodem genere continetur, & emerget definitio talis, *Angelus est spiritus corpori non coniunctus*: vel respondetur per tertiam speciem C. figuræ Q. & principia C. H. figuræ T. *Angelus est creatura quæ est magis similis Deo*: vel etiam per regulam D. eiusdem figuræ Q. *Angelus est spiritus constans ex intellectu, memoria & voluntate nullum habens appetitum ad*

corporis coniunctionem: Et hæc vltima clausula sumitur ex G. figuræ A. ad differentiam animæ rationalis. Similiter si quæratur *vtrum Angelus possit creare*? Responsio negans directa sumitur ex termino E. figuræ A. quia creare est summæ potestatis quæ non est in Angelo: Indirecta vero responsio sumitur ex E.K. figuræ T. nempe principio & minoritate, quia quod ex nihilo factum est non potest, nisi ex præiacente materia, aliquid facere.

Ad *Quid est Deus*? respondetur per mixtionem principiorum A. ex definitione B. applicata ad C.D. secundum primam speciem C. figuræ Q. *Deus est illa bonitas quæ infinitè & ab omni æternitate est ratio boni quod agat bonum infinitum & æternum.*

Quid est anima? Respondetur per G. figuræ T. Est illa essentia quæ perficit corpus in quo est coniuncta.

Quid est cœlum? Respondetur per B. H. figuræ T. Est illa substantia corporea quę est maior omnibus aliis.

Quid est substantia? Respondetur per definitionem E. circuli A. Est ens per se naturaliter existens & agens.

Quid est corpus? Respondetur per tertiam speciem C. figuræ Q. Est substantia in loco occupans locum.

PRAELECTIO II.

De ſolutione Argumentorum.

1. *Quot modis fiat Argumentorum Diſſolutio.*

ARgumentorum Diſſolutio tribus modis perficitur. Aut enim ſoluimus fallacias verborum vel ſententiarum oſtendendo falſitatem argumenti propter defectum quem habet in forma vel in materia, vel in diſtinctione, cōſtructione, coniunctione & reliquis huiuſmodi.

Aut diſſoluimus argumentum oſtendendo diuerſitatem ſubiectorum, principiorum, mediorum, cauſarum, aut his & illis aliter ineſſe, & aliter ad hæc & illa referri.

Aut diſſoluimus argumentum improbando ipſum, oſtendendo ex aliis principiis vel rebus neceſſariis falſum eſſe quod concludit vel dicit, vel hoc aut illud inconueniens ſequi diſſoluendo & improbando rationem argumenti, aut negando auctorem vel auctoritatem, vel quia auctori non eſt fides adhibenda, vel quia alia vel maiori auctoritate repellitur, aut afferendo aliam rationem potiorem vel contrariam, aut excipiendo à generali aliquod ſpeciale.

Quando autem oppoſitas nobis rationes diluere non poſſumus, tunc locis accidentalibus vtendum, videlicet

Aggreſſione grauioris rei, vt cætera auditor vana credat.

Intermiſſione, oſtendendo nos tranſire rem breuitatis cauſa, & ſi tempus daretur pleniùs ſatisfacturos.

Promiſſione ſolutionis, dicendo poſteà multa quorum multitudine auditorem obtundendo adeò obruimus, vt promiſſione ſolutionis immemor fiat.

Attenuatione, oſtendendo fuiſſe impoſſibile id quod poſitum eſt poſſibile & eiuſmodi.

Admonitione qua aduerſarium ſi in eo argumento perſeueret oſtendimus in varia pericula & inconuenientia caſurum.

quæſtione duorum vel plurium ex quibus aduerſarius malè alterum electurus ſit, vel cui reſpondere non poſſit.

Illuſione, argumenta in riſum ſoluendo & in aduerſarios retorquendo.

Contemptione, dicendo argumenta eſſe extra propoſitum, viris doctis indigna & prætereunda.

Suſpicione denique; nam quæ improbare nō poſſumus, ſuſpicione aſpergemus.



NONA CLASSIS.

De vniuersali Dispositione & Applicatione huius Artis.

PRAELECTIO I.

1. *Subiectum huius classis.* 2. *Diuisio eiusdem.*

HÆc Classis est de vniuersali dispositione & applicatione Artis docens quomodo de aliquo subiecto differendum sit, diuiditurque in quatuor partes.

Nempe { Ingressionem, Deductionem, Conclusionem, Et horum omnium exempla.

PRÆLECTIO II.

De Ingressione, prima parte.

1. *Quibus partibus constet Ingressio.* 2. *Quid sit exordium & de eius partibus.* 3. *Vnde sumendum sit exordium, & de eiusdem virtutibus & vitiis.* 4 *Quæ in Exordiis consideranda sint.* 5. *Quid Narratio & de eius conditionibus.* 6. *Quando vtendum.* 7. *Quid sit diuisio.*

INgressio constat Exordio, Narratione, & Diuisione.

Exordium eſt oratio animum auditoris comparans ad reliquam dictionem quod fit ſi Auditorem fecerimus beneuolum, attentum & docilem.

Beneuolum nobis conciliamus à noſtra, ab Auditorũ, ab Aduerſariorum perſona, à reipſa cùm noſtra ſine arrogantia, aliena verò citra adulationem prudenter laudamus. Item cùm inimicorum odium, inimicitiam, contemptum & inuidiam mouemus, atque cùm rem ita proponimus, vt ab eo quod odio habent ad id quod diligunt auditorum animi traducantur.

Attentum reddimus ſi pollicemur nos de rebus magnis, nouis & inuſitatis dicturos etiam verbis excitantibus, hortando auditores vt attentè audiant.

Docilem verò reddimus auditorem cùm ſummam rei de qua agimus breuiter complectimur, quę pars in ſermonibus Thema vel Theſis, hoc eſt Propoſitum vocatur: & hæc omnia agimus manifeſtè, vel per Inſinuationem diſſimulando occulta interiectione verborum.

3 Sumendum verò eſt omne Exordium; ex intimis ipſius rei de qua agitur, vt propriè cohæreat cum narratione rei, & ex ipſa natum videatur. Non vulgare ſit, non commune, nec minus prolixum, nec pluribus verbis aut ſententiis vltra quàm ſatis eſt productum, vel nimium apparatis verbis compoſitum aut affectatum ne fidem deroget.

4 Præterea vt omnia rectè peragas, conſiderare oportet mores auditorum, & coram quibus,

quid, qua audientium opinione, quo loco, aut tempore, & secundum illorum rationes sermonem moderari ac temperare: In Exordiis enim est quasi prima cognitio & commendatio Oratoris quæ continuò eum qui audit permulcere atque allicere debet.

Narratio est rerum explicatio & quasi quædam sedes ac fundamentum constituendæ fidei. Debet autem esse *breuis*, *aperta*, *probabilis*, vt auditor intelligat, meminerit, credat. 5

Breuis erit Narratio si cõstet simplicibus verbis, & semel vnaquæque res dicatur, si reciderimus omnia quibus sublatis, neque cognitioni quicquam, neque veritati detrahatur.

Clara erit si verbis vsitatis, si ordine, si tempore conseruato non interrupto narrabitur.

Probabilis si personis, si temporibus, si locis ea quæ narrabuntur consentient.

Ciceroni vehementer placet vt iucunda & suauis sit narratio, eamque suauem esse narrationem ait quæ habet admirationes, expectationes, colloquia personarum, dolores, iracundiam, metum, cupiditates.

At quando vtendum Narratione? Notandum Causarum vel Controuersiarum tria esse genera, Iudicij, Deliberationis & Exornationis quæ quia in laudationes maximè confertur, proprium habet ex eo nomen laudationis. In Iudiciis autem id fuit Consilij quando vtendum esset, aut non esset Narratione, nec enim si nota res esset, nec dubium erat quid gestum esset, narratio adhibebatur, nec si aduersarius narra- 6

uerat, nisi si refellebatur. In Exornatione Narratio non erit vlla quæ necessariò consequatur Exordium, nec multum sæpè in deliberatione narrandum est, Narratio enim est præteritarum rerum, aut præsentium: Suasio autem futurarũ. Priuata certè Deliberatio narrationem nunquã exiget eius rei de qua dicenda sententia est, quia nemo ignorat id de quo consulit: extrinsecus possunt pertinentia ad Deliberationem multa narrari. In concionibus sæpe est etiam illa quæ ordinem rei docet necessaria.

7 Diuisio est rerum de quibus dicturi sumus breuis enumeratio, vt certas res animo teneant auditores, quibus dictis sciant sermonem esse absolutum.

PRÆLECTIO III.

De Deductione secunda parte.

1. *Quid Deductio.* 2. *Duplex Deductio.* 3. *Triplex processus in deducendo subiecto.* 4. *Ordinis commutatio.*

1 DEductio artis est qua ostenditur quomodo sermones, argumenta seu probationes accipere & deducere debemus. Ex quo elicimus duplicem deductionis cursum.
2

Scilicet { Sermocinatiuum, Argumentatiuum.

Itaque in deducendo aliquo Subiecto, siue sit
3 dictum, siue oratio, siue propositio, siue quæstio

vtimur variis modis.

Primò plano processu ex ipsa arte, ordine principiorum seruato.

Secundò processu diuisiuo siue sit propositionis, siue rei, siue vtriusque per omnes figuras. Itaque si complexum est, vt propositio vel sententia aliqua primò partes eius quæ per diuisionem distinctæ sunt, breuiter definiantur, earum quidditas explicetur, & singulæ earum tractentur per quæstiones, principia & subiecta, vt in priori deductionis genere.

Tertiò denique vtimur processu extraneo qui fit quando vna propositio vel res deducitur per aliam, vt si Iustitia sit pro subiecto, & deducatur per hunc versiculum.

Arma virumque cano, dicendo Iustitia *armari* hominem contra vitia ac tentationes, & per eandem reddi *virilem* eius animum, ne sensuum illecebris, muliebribusque affectibus succumbat; denique propter iustitiam acquirere sibi perpetuam laudem & gloriam, ab omnibus laudari & *decantari* ad posteros in bonorum exemplum.

Simili ratione sit Sapientia pro subiecto & deducatur per illum versiculum,

O Regina nouam cui condere Iupiter vrbem.
dicendo Sapientiam *reginam ac nouam*, non senescentem, & illam *Condere vrbem*, videlicet Ecclesiam: Ad quæ nobis occurrunt dicta Salomonis dicentis ipsam ædificasse sibi domum, septẽ excidisse columnas & in hunc modum plura.

Ex his quæ dicta sunt satis patet ordo dedu- 4

ctionis; ſed hoc obſeruandum eſt, vt ordinem commutemus commiſcendo figuras, & hinc inde tranſiliendo in aliam, prout ornatus vel neceſſitas poſtulabit, ſic tamen vt primùm ſimplicia tractentur antequam ad compoſita deueniatur, deinde verò permixtim; modò de tota re ſimul diſſeratur, modò de ſingulis partibus.

Prælectio IV.

De Concluſione.

1. *Quid Concluſio.* 2. *Quot modis fiat.*

1 Concluſio eſt vltima pars totius orationis & ſermonis terminus, Auditoris memoriam reficiens & animum eius commouens.

Poteſt autem fieri tribus modis.

2 Vel potiſſimo aliquo argumento in quo totum robur ſermonis conſiſtat, atque ita concludatur. Vel per enumerationem, ordine colligendo & commonendo quibus de rebus verba fecerimus, & hæc enumeratio debet eſſe breuis vt memoriæ mandetur, non redintegretur, nec ab Exordio, ſed à diuiſione ſumatur eius initiũ.

Vel Amplificatione vtendum eſt mouendo animos tepentes, ſedando commotos & cohortando auditores ad ea retinenda, & in eos à quibus hæc violata ſunt, incitando odium & inuidiam, demùm commouendo commiſeratione͂, hæc omnia multiplicando & amplificando per omnes artis partes ſecundum duplicem & multiplicem figuram, atque ita concludẽdo ſermonem. Exemplo ſequenti ſingula manifeſta fiũt.

Prælectio V.

De quarta & vltima parte huius vltimæ Claßis, nempe prædictorum exemplo.

QVod sequitur exemplum est Andreæ Canterij quod licet elegantia & ornatu careat, eo tamen ostenditur dispositionis & applicationis modus secundum præcepta quæ tradita sunt, idque secundum planam ac simplicem deductionem, cuius subiectum est Ieiunium quod deducitur primò per figuram A.

De Ieiunio sermo.

Exordium.

DE Ieiunio sermonem habiturus ab hoc Euangelico verbo exordiar; *Venient dies cum auferetur sponsus à filiis nuptiarum, & tunc ieiunabunt.* Quo verbo intelligimus palam Apostolis, qui tunc præsentes demonstrabantur, & per eos toti Ecclesiæ Christianæ constitutum imperatumque esse à Domino ipsum Ieiunium: sic enim & alio loco legimus: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Quis igitur hoc dominico præcepto monitus non studeat ieiunare, cùm perspexerit Ieiunium esse à Christo institutum, vt ad æternam quæ ieiunantibus promittitur saturitatem perueniamus, dicente Domino, *Beati qui nunc esuritis,* &c. Est enim Ieiunium abstinentia cibi & potus, ea quæ sunt carnis abstrahens, vt conseruet ea quæ spiritus sunt, & obseruatorem suum faciat seipso sublimiorem, reddatque ex corporali spiritualem: hinc est

quod Ieiunium vnit hominem cum Deo, nam & Deus Spiritus est.

Diuisio.

IEiunium autem quo quispiam Deo vnitur vnum esse oportet, non diuisum, sed omnibus ex suis partibus compositum, vt scilicet sicut corpus ieiunat ab escis, ita anima à peccatis: sic totus homo ab omnibus concupiscentiis suis ieiunet, capillus à superfluo cultu, oculus ab inani visu, aures à prauorum verborum auditu, à voluptuosis olfactibus nares, & lingua non ab escis solùm & saporum delectamentis, sed & ab omni sermone inani & verbo otioso ieiunet. Excedat à corde omne impium fomentum, Inuidia, Auaritia, & omnis mala libido, hoc enim cordis est ieiunium: non tangat manus illicita, non proficiscantur pedes in scandalum, & sic pedes & manus ieiunabunt; hæc enim omnia integritate sua Ieiunii constituunt vnitatem atque perfectionem: si vnum eorum defecerit, non dicetur recte esse ieiunatum.

Deductio.

Et primò per figuram A.

B EIusmodi itaque Ieiunium est omnibus amplectendum tanquam cœleste ac spirituale bonum. Sed non dicitur Ieiunium bonum nisi bene faciat. quid enim bonitas nisi cōmunicatio? Bene itaque ieiunat qui escas quas sibimet abstrahit, pauperibus largitur, non qui velut exactor tunc quando ieiunat pauperes affligit, debitoribus suis tum maximè est infestus,

quod apud Isaiam legimus, *In die Ieiunij apparet voluntas in molestandis debitoribus vestris.* Tum adiicit, *hoc est Ieiunium quod elegi, frange esurienti panem tuum, vagos & inopes recipe in domum tuam.* Quæ bonitas nisi Ieiunio accesserit, non erit Ieiunium bonum: si autem Ieiunium non sit bonum, non erit Deo gratum, qui nihil præcipit nec acceptum habet nisi bonum, quoniam ab eo omne bonum manat.

Magnum est Ieiunium abstinere ab iniquitatibus, quia magna est iniquitatum multitudo, magna etiam aduersus hominem ipsarum pugna, atque militia vt maior sit in Ieiunio laus constrepentibus vndique tot hostibus. Et ex hoc Ieiunium illud maius est, quoniam ad animam pertinet, aliud verò ad corpus & ad escas, anima autem plus est quàm corpus, & peccatum plus quam esca. C

In Ieiunio etiam oportet esse perseuerantiam iuxta sacrum illud prouerbium, *Qui perseuerabit vsque in finem hic saluus erit & qui legitimè certauerit, hic coronabitur.* Hinc *Moyses accepturus præcepta, quadraginta dierum ieiunium continuauit non manducans panem neque vinum bibens.* Hæc igitur perseuerantia si desit à Ieiunio vt in aliis virtutibus, minuit meritum, perdit præmium. D

Facit autem Ieiunium possessorem suum potentem ad dominandum imperandumque suis concupiscentiis illicitis, è contrariò eiusdem demissio impotentem facit. Hinc Saluator ait, *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in Ieiunio & oratione.* Et Apostolus præcipit, *Abstinete à vino* E

in quo est luxuria. Et Hieremias *Venter mero æstuans spumat in libidinem.* Hoc in Loth ostensum est qui propter ebrietatem commisit incestum: hoc in Holoferne qui exarsit in amorem Iudith, caputque & vitam amisit.

F Tribuit Ieiunium sapientiam diuinam & humanam, aut certè disponit ad illam, vnde illud prouerbium, *Pinguis venter, macer Intellectus.* Hoc patet primò de Moyse qui ieiunando diuinam scientiam & artes complexus est. Ieiunando Helias curru igneo euectus est. Item Daniel & cæteri pueri ieiunantes scientiam adepti sunt. Et Apostoli ieiunantes acceperunt Spiritum sanctum. Ioannes ieiunando in insula Pathmos reuelationes accepit secretissimas.

G Ieiunium oportebit esse voluntarium, ipsa enim cibi abstinentia nisi animæ electione fiat nullam habet in se virtutem. Hinc legitur Dominum Iesum spiritu sancto intrasse desertum.

H Ieiunium virtutes parit si ab homine virili fortiter sustineatur. Hinc Heb. 11. legimus quomodo sancti nuditatem, miseriam & Ieiunium viriliter sustinuerunt.

I In veritate autem ieiunare oportet non simulatione, vnde Dominus in Euangelio, *Nolite fieri sicut hypocritę tristes &c.*

K Gloriam nullam præstat Ieiunium nisi honestæ rei causa suscipiatur vt si ob vitandam ignominiam, non enim pro inani gloria ieiunandū, vnde illud *Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam laua.*

Secundò Ieiunium deducitur per figuram T.

IEiunium differt inter se. Nam aliud ſpiritua- B
le, aliud corporale, vtrumque ad perfectionẽ Ieiunii requiritur, vt vnum vtatur ſuffragio alterius: nam corporale ſine ſpirituali vacuum eſt, & ſpirituale ſine corporali ſæpe difficilius obſeruatur Facit etiam Ieiunium differre à beſtiis quæ ſuo appetitu ducuntur, vt neque in cibo neque in potu ſibi temperamẽtum ponant, neque ab alia vlla voluptate cùm delectabilia obiecta præſentia habent.

Sicut homo per Ieiunium diſcernitur à be- C
ſtijs, ita coniungitur Angelis & aliquid maius in ſe habens quàm Angeli, quoniam cibi potuſque abſtinentia Angelis per naturam ineſt, quod nullo corpore induti, nullo fomento corporali vtuntur, homo autem in corruptibili corpore ſpiritualem vitam agit per Ieiunium. D

Sicut Angelis bonis Ieiunium concordare facit ieiunantem, ita malos dæmones expugnat & fugat, quos crapula libidoque improbi ianitores in atrium morale hominis admiſerunt, vnde Saluator ait, *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur niſi in ieiunio & oratione.*

Ieiunio autem multiplex conſtituere poſſu- E
mus principium. Nam in lege Iuſtitiæ ante peccatum inſtitutum eſt, vt eſſet prohibitione lex, & ex obſeruantia meritum. Præcepit enim Dominus ne de ligno ſcientiæ boni & mali co-

mederent. Institutum est post peccatum in pœnam dicente Domino, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo quo sæpe fraudaberis &c.* Similiter quadragesimale Ieiunium inueniemus in Moyse, in Helia, in Esdra, in Iudaïca obseruantia, item in Christo, in Apostolis, in Pontificibus & sanctis patribus institutum.

F Ieiunium est medium coniungens in homine ea quæ inter se frequenti pugna certāt animam scilicet & corpus. Nam inquit Apostolus *Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* quare nisi ieiunio compescatur sub spiritus imperio difficile continebitur, quod Sapiens in Parabolis innuit dicens. *Qui delicatè nutrit seruum suum, inueniet eum contumacem.*

G Finis Ieiunii est vt corporis affectus supprimi possint, vt animus non impeditus delectatione crapulæ liberior sit ad suum officium exercendum. Similiter hîc aliqua inueniendo de vltimo triangulo.

Tertiò Ieiunium deducitur per figuram Q.

B PEr figurarum Q. deducimus Ieiunium quærendo de eo per diuersas quæstiones.

Vtrum Ieiunium sit bonum, & vtrum bonum sit ieiunare.

C Quid est Ieiunium? Quid est in Ieiunio? In quibus est Ieiunium? Quid operatur? Quis tenetur ieiunare? Quis non tenetur?

D De quo est ieiunandum?

Quare eſt inſtitutum Ieiunium ? E

Quantum debet eſſe Ieiunium ? F

Quale debet eſſe Ieiunium ? G

Quando eſt Ieiunandum ? H

Vbi ieiunandum? Vbi inſtitutum Ieiunium? I

Quomodo ieiunandum. K

Et ſic de ſimilibus accipiendo ſolutiones quæſtionum eiuſmodi ſecundum regulas ſuas miſcendo figuram A.& T. vt ſupra docuimus.

Epilogus totius Artis Kabbaliſt.

HAbes tandem altiſſimi gratia *Olympi*, *Artis Kabbaliſticæ* , ſiue *Sapientiæ diuinę Academiam*, qua ſi animus tuus contentus ſit, qua lætitia perfruar ?

Olymp. Sanè *mi Moreſtelle* contentus : Scientiarum enim hanc reginam adeò illuſtraſti, vt nemo ab adeptione huius Artis excludi videatur: nemo ſanæ mentis ſit, qui hanc amare non debeat, totoque appulſu atque neruis in eius ſtudium incumbere , quandoquidem adiuuat omnes alias, oſtenditque viam & pàtefacit aditum ad inuentiones plurimas. Sed quid in laude huius Artis detineor , ſucceſſus rem ipſam comprobat. Itaque *mi Moreſtelle* quo me beneficio affeciſti? In ſigni certè, ſingulari, diuino; quare quoad viuam , gratam de te ſum habiturus memoriam.

FINIS.



INDEX RERVM MEMORABILIVM.

FINIS.

Ad Lectorem.

Errata ſequentia (Lector) obiter obſeruaui quæ ſic corriges, legendo in lin. 12. pag. 3. pro magni, *magno*. In lin. 12. pag. 118. pro ipſius, *ipſum*. In lin. 7. pag. 119. pro altero, *alieno*. Ibid. pro diſtincta, *deſtituta*. Alia quoque corrige ſi occurrant.